INSTITUTIONES JURIS CANONICI IN TRES PARTES, AC IN SEX TOMOS...



INSTITUTIONES
JURIS CANONICI
IN TRES PARTES,
AC IN SEX TOMOS DISTRIBUTAE

Quibus vetus & nova Ecclesiae disciplina & mutationum caussae enarrantur

A

DOMINICO CAVALLARIO

JURIS CANONICI ET CIVILIS PROFESSORE

CONSCRIPTAE

In hac nova Panormitana Editione accessit

JUS SICULUM ECCLESIASTICUM

SINGULIS QUIBUSQUE JURIS CANONICI TRACTATIBUS ADCOMMODATUM.



TOMUS IV.



PANORMI, TYPIS REGIIS, MDCCLXXXVIII.

∽ *∽* *∽* *∽* *∽*

CUM APPROBAT.

SUMPTIBUS FRANCISCI, ET ROSARII ABBATE FRATRUM.

Nulli ſacerdotum liceat ſacros canones ignorare.

Coeleſtinus Papa ep. III. cap. 1.

Canones Nicaeni *ſpiritu Dei conditi & totius mundi reverentia conſecrati.*

Leo M. ep. LXXXIV.

INDEX

CAPITUM ET DOCTRINARUM.

SECUNDAE PARTIS.



CAP. XXVI.

Qua-

Le-

Ad-

In

Qui



6

INSTITUTIONES JURIS CANONICI.

PARS II.

CAPUT XXVI.

De sponsalibus.

Definitio sponsaliorum.

§. I. SPONSALIA antiquis Romanorum & aliarum gentium moribus, quos christiani retinuerunt, nuptiis praemitti solent, idque ut cautius & ordinatius matrimonium ineatur, & christiani ad sacramenti gratiam se disponant. Sunt sponsalia proprie sic dicta *futurarum nuptiarum promissio*, ut Nicolaus I. definivit (*a*), seu, ut habet Florentinus jurisconsultus, *mentio & repromissio futurarum nuptiarum* (*b*). Dicta autem sunt Romanis sponsalia a spondendo, quia moris fuit veteribus *stipulari & spondere sibi uxores futuras*, quod Ulpianus (*c*) testatur, exstantque passim apud comicos talium stipulationum exempla, quae Brissonius (*d*) collegit. Hinc a sponsione, quae interrogationi respondebat, *sponsaliorum*, ut & *sponsi* & *sponsae* ap-

(a) *Can. III. C.* 30.*q*.5. (b) *L. I. D. de sponsal.* (c) *L. II. D. eod.* (d) *Brisson. de rit. nuptiar.*

pellationes ortae sunt. Temporis lapsu sollemnitas stipulationis in sponsalibus apud Romanos parum frequentata est (fortasse quod ex sponsu nullam dabant actionem), atque ita, antiquis nominibus retentis, ea passim solo consensu contracta sunt, quod jus exhibent jurisconsulti, quorum fragmenta in digestis prostant (*a*). Inde receptum inter absentes per nuntium, aut epistolam sponsalia contrahi (*b*). Cui juri adhaesit ecclesia, quae semper docuit, etiam mero consensu perfici sponsalia.

Sponsalia de praesenti & de futuro.

§. II. Unius generis sponsalia, quae futurarum nuptiarum pactionem continerent, Romani adgnoverunt: idque pluribus probat Boëhmerus (*c*) contra Henricum de Coccei, Ulricum Huberum, aliosque, qui, etsi non eadem ratione, sponsalia de praesenti apud Romanos obtinuisse sentiunt. At apud scholasticos & canonistas sponsalia vel sunt *de futuro*, vel *de praesenti*, quorum illa sunt futurarum nuptiarum promissio, haec vero in praesens matrimonium consensus, ac proinde sunt ipsum matrimonium ratum, quod appellant. Inducta videtur distinctio ista ab antiquis scholasticis & canonistis, ut ambiguitatem, quae in vocibus *sponsaliorum* & *sponsorum* in antiquis monumentis occurrebat, evaderent. Scilicet in fragmentis patrum *sponsaliorum* & *nuptiarum*, item *sponsorum* & con-

(a) *L. IV. VII. & XI. eod.* (b) *L. IV. §. 1. & L. V. & XVIII. eod.* (c) *Boëhm. jur. eccles. lib. IV. tit. 1. §. 3. & seqq.*

conjugum voces confunduntur & alternant (*a*). Quae loquendi ratio ex usu scripturarum profecta est, *Recordare consuetudinis scripturarum*, inquit Hieronymus (*b*), *quod sponsi viri, & sponsae vocentur uxores*. Hinc in ecclesiasticis monumentis sive genuinis sive suppositiis saepe desponsationi vis matrimonii tribuitur (*c*), modo sponsalia & matrimonium tamquam diversa proponuntur (*d*). Ad tollendam igitur vocum ambiguitatem & ad concordiam veterum monumentorum scholastici in saeculo distinctionibus assueto sponsalia aut de praesenti, aut de futuro esse dixerunt; atque ita ubi patres desponsationi effectus veri matrimonii tribuere videntur, id de sponsalibus de praesenti; ubi vero negant sponsalia esse matrimonium, de sponsalibus de futuro interpretati sunt. Inventae distinctioni vim addiderunt pontifices, qui in responsis suis desponsationem praesentem a futura distinguunt (*e*). Interim jure concilii Tridentini nulla amplius videntur esse sponsalia de praesenti; etenim eo jure non admittuntur matrimonia clandestina, & ubi sponsi coram parocho seu alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus in nuptias praesentes consentiunt, matrimonium, non sponsalia de praesenti dicimus.

A 2 *Qua-*

(a) *Can. VI. IX. & XII. C.* 27. *q.* 2. (b) *Hieronym, in Matth. cap. I.* (c) *Can. XI. XIV. & XV. eod.* (d) *Can. XVIII. XXXIV. & XXXIV. eod.*
(e) *Cap. XI. ex. de praesumt.*, *cap. XXII. ex. de sponsalib.*

Qualitates consensus sponsalitii.

§. III. Consensus autem, quo sponsalia contrahuntur, utrinque per verba aut alia manifesta signa exprimi debet, & quidem ex certa scientia & libera voluntate. Omnia humana negotia ex certa scientia & libertate proficisci debent; at in sponsalibus & matrimoniis, quae animos potius quam corpora consociant, clariori scientia & majori libertate opus est. Quapropter vitiantur sponsalia nulliusque effectus sunt, errore interveniente circa ea, quae ad sponsaliorum essentiam pertinent; veluti si in persona contrahendum erratum sit, aut si ad matrimonium habilis putetur, qui re vera inhabilis est: & vi injusta metuque, qui, ut dici solet, *in constantem virum cadit*, etiamsi a tertio illatus fuerit (*a*), & juramentum accesserit (*b*), modo vis in finem contraendi sponsalia facta sit (*c*). Sane qui errant circa sponsaliorum naturam, consentire non intelliguntur. Et quamvis qui coacti agunt, etiam consentiant: tamen quia liber consensus, qualem sponsalia requirunt, deficit, & praeterea quia cogenti jus non est alterius promissionem acceptare; per vim contracta sponsalia nullam vim habent. Et hinc jure Romano cautum est, ut feminae, quae cum magistratibus provinciarum durante eorum imperio sponsalia contraxerant, finito imperii anno a fide data possent resilire; quod femi-

(a) *Cap. XI. ex. desponsat. impub.* (b) *Cap. II. ex. de eo, qui duxit in matrim.* (c) *Confer. Gonzalez ad cap. XV. ex. de sponf. n.* 4.

minae tanta sponsi potestate perculsae non omnino sponte pactionem de futuro conjungio fecisse viderentur (*a*). Ceterum sponsalia errore, dolo, metuve nulla inde possunt convalescere, si errore, dolove detecto, metuve deposito rata habeantur.

Sponsalia sub conditione.

§. IV. Quemadmodum vero ceteri contractus, ita etiam sponsalia sub conditione contrahi possunt, titulusque ea de re in decretalibus prostat. Conditione quae negotiis adiiciuntur, vel *possibiles* & *honestae* sunt, vel *impossibiles* & *turpes*. Certi juris est, sponsalibus, non secus ac ceteris negotiis, conditiones possibiles & honestas adiici posse, veluti si tantum pecuniae dotis nomine intuleris (*b*), vel si pater, aut avus, aut alius sponsalibus consenserit (*c*). Quoniam vero conditiones ab incerto eventu negotia, quibus adiiciuntur, suspendunt; hinc sub talibus conditionibus inita sponsalia, non aliam obligationem inducunt, quam ut eventus conditionis expectetur (*d*); interim vero sponsi ad nuptias celebrandas non tenentur. Impleta vero conditione sponsalia pura fiunt, & ad nuptias contrahendas obligare incipiunt: quae eadem obligatio eis accedit, ubi ille, in cujus gratiam conditio adjecta est, eam expresse vel factis ipsis remittat (*e*). Verum si spon-

(a) *L. I. C. Th. si provinciae rector.* (b) *Cap. III. ex. de conditionib. adposit.* (c) *Cap. V. ex. eod.*

(d) *Cap. III. V. ex. de condit. adposit.* (e) *Cap. VI. ex. eod.*

sponsalibus conditiones impossibiles adiiciantur, ea nulla sunt ex defectu consensus (*a*): qui enim sub impossibilibus conditionibus paciscuntur, non censentur consentire (*b*); idemque jus est de conditionibus turpibus, quae per legem etiam reputantur impossibiles. *Quae facta*, inquit graviter Papinianus (*c*), *laedunt pietatem, existimationem & verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est*.

Qui sponsalia contrahunt.

§. V. Quoniam vero sponsalia per consensum in futuras nuptias contrahuntur, recte ea contrahunt omnes, qui in futuras nuptias possunt consentire. Hinc sponsalia contrahere vetantur furiosi, mentecapti, infantes (*d*); nec porro rata sunt sponsalia eorum, qui nuptias inter se contrahere vetantur (*e*), veluti inter proximos cognatos & adfines. Contra impuberes sive patres sive filii familias, quod in futuras nuptias possunt consentire, & Romanis legibus & sacris canonibus sponsalia recte contrahunt, modo sint infantia majores, hoc est si septem annis minores non sint (*f*); hac enim aetate ex sententia Stoicorum, quam jurisconsulti & inde pontifices suam fecerunt, homines incipiunt intelligere.

Ita

(a) *Confer. Zoësius in tit, decretal, de conditionib, apposit. num. XXII.* (b) *L. XXXI. D. de O. & A.*
(c) *L. XV.D de conditionib. instit.* (d) *L.VIII. & XIV*: §. 9 *D. de sponsalib.* (e) *L. XV. & seqq. eod.* (f) *L XIV. D. de sponsal.*, *cap*, *IV. & XIII. ex. desponsat, impuber.*

Ita aetas sponsalibus necessaria non lege, sed natura potius definitur. Quoniam vero lubricum & fragile est impuberum consilium, adveniente pubertate a sponsalibus possunt resilire (a): atque adeo si pubes cum impubere sponsalia contrahat, non aequo jure utrinque consistunt, pubes enim a fide data non potest resilire, bene vero impubes (b). Ut vero rata & legitima sint sponsalia filiorum familias, parentes etiam debent consentire, aut saltem non dissentire, quod & naturae redolet honestatem, & utroque jure consecratum est (c). Et bene habet, quod plerique theologorum tenent, & late Franciscus Muscettula & doctissimus Mazochius probant, nulla esse etiam jure canonico sponsalia a filiis familias invitis parentibus contracta, modo isti cum ratione dissentiant (d). Ipsi quoque patresfamilias filiorumque impuberum puberumve nomine etiam futuras nuptias paciscuntur, pactoque parentum stare tenentur filii, si expresse vel tacite consenserint (e): etsi jure Ramano tum filiafamilias a patre ejus nomine sponsalia contrahenti poterat dissentire, si indignum moribus vel turpem sponsum ei pater elegisset (f). Quod

A 2 si

(a) *Cap. VIII. ex. eod.* (b) *Cap. VII. ex. eod.* (c) *L. VII. §. 1. D. de sponsalib.*, *conc. Carthag. IV. can.* 13., *can. I. & III C.* 30.*q*.5. (d) *Muscettula diss. de sponsalib. & matrim. filiorumfam. dub IV. n.* 145. *& seqq.*, *Mazoch. in mantissa ad cit. Muscett. dissert.* (e) *L. XIII. D. de sponsalib.*, *Ivo Carnotensis ep. LXIX.*, *cap. un. §. ult. de sponsalibus in 6.* (f) *L. VII. D. de sponsalib.*

si parentes non jure a sponsalibus filiorum dissentiant, filii contra eorum morositatem judicis auxilium implorabunt.

Sponsalium benedictio.

§. VI. Quamvis autem sponsalia nudo partium consensu contrahantur; tamen multis sollemnibus & ritibus, veluti sacerdotali benedictione, osculo, arris & juramento confirmari consueverunt: quin adhibiti testes sunt & instrumenta confecta, ut ea jam contracta fuisse constaret. Et quod spectat ad sacerdotalem benedictionem, inde usque a primis saeculis mos fuit christianis matrimonium, quod contrahere intendebant, episcopo & toti ecclesiae manifestare, idque ut nuptias in domino contraherent, & ne illicitae inter christianos conjuctiones fierent: quod Ignatius martyr & Tertullianus (*a*) tradunt. Denuntiata ecclesiae sponsalia episcopi sollemni benedictione confirmabant, idque aperte ex Siricio pontifice constat, qui ex ea benedictione infert, sacrilegium esse sponsalia violari. *Illa benedictio*, sunt Siricii verba (*b*), *quam nupturae sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilecii instar est, si ulla transgressione violetur.* Et Augustinus teste Possidio (*c*) ex sententia Ambrosii dicebat, sacerdotem sponsalibus christianorum vocatum interesse, *ut vel eorum jam pacta & placita firmarentur, vel benedicerentur.* Ex antiquis moribus sacerdotali benedictione sponsa-

(a) *Ignat. Martyr. ep.ad Polycarp.n.V., Tertull. de pudic.cap. IV.* (b) *Siric.ep.I.ad Himer. Tarrac. cap. IV.* (c) *Possid.vit. August. cap.XXVII.*

lia in ecclesiis Orientalibus adhuc confirmantur; sed in ecclesiis Latinis a multis saeculis desiit ista sponsaliorum benedictio; & hinc sponsalia juramento confirmari coeperunt, quae disciplina saeculis XII. & sequentibus praesertim vigebat. Ceterum etsi apud Latinos non amplius usurpetur sponsaliorum benedictio, tamen in plerisque locis in loco sacro & coram parocho contrahi solent: quod locorum canones & rituales libri inculcant.

Sponsalitiae largitates & anulus pronubus.

§. VII. Confirmari quoque consueverunt sponsalia muneribus, quae ut plurimum sponsus sponsae, raro haec illi mittere solebat. Vocantur hujusmodi munera *donationes sponsalitiae*, *arrae* & *pignora*, quoniam eorum datione & receptione sponsalia firmabantur, & veluti loco pignoris erant, quo ad nuptias celebrandas se adstrictos sponsi demonstrarent. Inter sponsalitia pignora maxime eminebat anulus, quem tamquam mutuae pactionis signum ac testimonium sponsus sponsae dare consuevit, eumque a nuptiarum caerimonia *pronubum* Tertullianus (*a*) appellavit. Erat autem anulus pronubus innocens caerimonia a Romanis jam ante christianam religionem adhibita, & a Judaeis quodammodo etiam probata, quod Seldenus (*b*) observat. Usus anulorum receptissimus erat apud Romanos, at non ornatus caussa, sed in signandi usum, quod ex Atejo Capitone Macrobius scribit (*c*), & Bris-

(a) *Tertull. apol. cap. VI.* (b) *Seldenus uxor Hebr. lib. II. cap.* 14. & 15. (c) *Macrobius lib. VII. c.* 13.

sonius (a) observat. Hinc anulis signa erant inscripta. Et si anuli in pactionibus loco pignoris & arrae dari consueverint, id factum videtur, quia anuli semper erant ad manus. Et conveniebat quidem in pignus sponsaliorum anulum dari, ut ita indicaretur custodia rei domesticae, quae uxori erat demandata, in quem finem claves novae nuptae tradi solitas Festus testatur. Sane tradit Clemens Alexandrinus dari consuevisse anulum *uxori non ornatus gratia, sed ut obsignaret, quae domi erant* (b). Obsignari enim solitas arcas penuarias, ne a servis surriperentur, ex Plinio Baronius (c) observat. Itaque anuli datio signum erat futuri promissi matrimonii, ejusque datione sponsam sponsus sibi oppignorabat, eoque pignore eorum corda jungebantur. Inde christiani in anulis signum fidei quod mutui amoris & concordiae symbolum habebatur, insculpere solebant: & inde factum vulgo etiam ab antiquis creditum est, ut manus sinistrae digito, qui minimo vicinus est, anulus inseratur, *quia in eo vena quaedam, ut fertur*, inquit Isidorus (d), *sanguis ad cor usque perveniat*. Erat autem Plinii aetate ex ferro (e) & quidem sine gemma pronubus anulus: sed secundo ecclesiae saeculo jam aureus factus erat: quod ex Clemente Alexandrino & Tertulliano constat (f).
Oscu-

(a) *Brisson. ad L. Juliam de adulteriis.* (b) *Clemens Alexandr. paedag. lib. III. cap.* 11. (c) *Baron. ad an. LVII.* (d) *Isidor. lib. II. de offic. cap. XIX.* (e) *Plinius lib. XXXIII. hist. natur. cap* 1. (f) *Clemens Alexand. loc. cit., Tertull. apol. c. VI.*

Osculum sponsalitium.

§. VIII. Porro sponsalia confirmari consueverunt per osculum, quod vir sibi desponsae mulieri impingebat. Usus osculi in matrimoniis etiam apud ethnicos cognitus erat, teste Tertulliano (*a*); at potiori ratione illud in sponsalibus suis christiani usurparunt. Nempe apud christianos nihil osculo sanctius & usitatius: eo se in orationibus & sacra synaxi in signum mutuae caritatis & foederis complectebantur: nec aliter quam osculi impressione se invicem salutabant. Itaque antiquorum christianorum ingenium & eorumdem castum amorem osculum sponsalitium redolebat. Sed non omnia sponsalia per osculum contrahebantur: distinguit enim Constantinus M. inter sponsalia per osculum, & ea quae sine osculo contracta erant (*b*). In Occidente simul atque pristina simplicitas in malitiam degenerare coepit, osculum sponsalitium sensim desuevit; rara enim ejus in mediorum saeculorum monumentis exstant exempla (*c*). Sed in Oriente hanc osculi sollemnitatem Alexius Comnenus restituit, vel potius confirmavit (*d*). Et hinc sponsalia in imperio Graeco duplicis generis fuerunt; alia enim per sacras preces, osculum & arras firmabantur, quae indissolubilia erant, quippe quia per osculum aliquid de virginitate delibari omnis antiquitas intellexit; alia vero non

 adeo

(a) *Tertull. de veland. virginib. cap. XI.* (b) *L. V. C.Th. de sponsal., L. XVI.C.de donat. ante nupt.* (c) *Confer.Cangius v.* osculum. (d) *Ap. Matthaeum Blastar. in syntagm. alphab. cap. XV.*

adeo strictae erant obligationis, utpote secundum leges nudo consensu contracta: quae duo sponsaliorum apud Graecos genera ex Balsamone (*a*) feliciter Mazochius (*b*) eruit. Perseverat adhuc in his moribus Graeca ecclesia antiquorum rituum tenacissima, ubi sponsalia indissolubilia paullo ante matrimonii celebrationem interponuntur.

Obligatio ex sponsalibus.

§. IX. Sponsalibus jure contractis, utrinque ex naturali ratione ad nuptias contrahendas oritur obligatio. Sed jure Romano ex sponsu actio efficax ad nuptias contrahendas non datur: nuptiis enim, quae potius animos quam corpora debent illigare, adversari videbantur coactiones; & praeterea ubi divortiorum licentia recepta erat, sponsaliorum firmitas nulla esse poterat: adeo ut *contra bonos mores* viderentur poenae ex conventione sponsalibus additae (*c*). Sed apud christianos inde usque ab initio nihil sanctius fide data, ac ita sua vis sponsalibus constitit, praesertim si per osculum & sacerdotalem benedictionem contracta essent. Hinc Siricius papa *sacrilegii instar* esse ait, desponsam puellam alteri nubere, idque quia data benedictio violetur (*d*). Itaque Illiberitani patres triennali poenitentiae subiiciunt sive parentes sive sponsos, qui sponsaliorum fidem fregissent (*e*). Et synodus Trullana adulterii crimen adgnoscit, si de-

---

(a) *Balsamon in can. Trull. XCVIII.* (b) *Mazoch. diatriba in can. Illiberit. LIV.* (c) *L. CXXXIV. D. de V. O.* (d) *Siric. papa ep. I. ad Himer. cap. 4.* (d) *Conc. Illiber. can. LIV.*

desponsa puella alteri nubat (*a*): quod de sponsalibus osculo & arris firmatis accipiendum esse Balsamon tradit (*c*), & fuse Mazochius (*b*) illustrat. Ex qua christianorum disciplina christiani imperatores quadrupli ejus, quod arrarum nomine datum erat, & inde in sponsis aetate majoribus dupli poena sponsalium obligationem munierunt (*d*). Stat adhuc in Oriente tanta sponsaliorum vis, quod osculum & arrae fidei datae accedant; verum in Occidente ubi osculum & benedictio usurpari desierunt, adhuc multa est sponsaliorum obligatio, praesertim quando juramentum fideí datae accessit; at certe non tanta, qua sponsis invitis nuptiae obtrudi valeant: quae sententia societati matrimoniali magis videtur convenire. Sane ubi sponsi fidem etiam jurejurando firmatam nolint implere, potius monentur, quam coguntur, quod Lucius III. rescripsit, & quidem ea summa ratione, quod coacta matrimonia solent malum finem habere (*e*). Et si Alexander III. etiam *ecclesiastica censura compellendum* invitum sponsum respondit ad implenda sponsalia jurejurando firmata (*f*); id ea exceptione dixit, *nisi rationabilis caussa exstiterit*: & in hoc negotio, ubi coa-

---

(a) *Conc. Trullan. can. XCVIII.* (b) *Balsamon. in cit. can. Trullan.* (c) *Mazoch. diatr. in can. LIV. Illiber. addita dissertioni Muscetulae de sponsalib. & matrim. filiorum fam.* (d) *L. VI. C. Th. de sponsalib.*, *L. V. C. de sponsalib.* (e) *Cap. XVII. ex. de sponsalib. Confer. Franc. Florens in caus. XXVII. quaest. 2.* (f) *Cap. IX. ex. eod.*

coactiones fini videntur adversari, vel levissima caussa rationabilis videtur, quod more suo Mazochius (a) observat. Ceterum ubi adjuncta aliud suadent, puta si per osculum pudicitia delibata sit, vel si sponsa deflorata; omnino ad nuptias sponsus cogi debet, pertinetque profecto ad magistratus officium, vi armata refractarios ad nuptias compellere.

Qui sponsalia dissolvuntur.

§. X. Pluribus autem modis sponsalia, quantumvis rite contracta, dissoluuntur; nec enim indissolubili vinculo adstringunt, quemadmodum matrimonium. In primis dissolvuntur mutuo partium consensu, etiamsi jurejurandi religione contracta sint, quia jusjurandum ipsam naturam contractus non immutat (b); nisi impuberes sint, qui sibi mutuo futuras nuptias promiserunt, nam propter aetatis & consilii infirmitatem ante pubertatem a fide data resilire non permittuntur (c). II. per matrimonium, quod sponsorum alter injuria quidem sed valide cum alia muliere contrahit, ita nempe ut relictus omnino a fide data liberetur, foedifragus vero non teneatur quousque duret matrimonium. III. per ordinis sacri susceptionem (d), & per ingressum in religionem ejusve professionem; jure enim canonico ubi quis ad Deum se convertit, paene omnia alia vincula solvuntur. Sed quousque religionis emittatur professio, conversi obli-

(a) *Mazoch. not. XXXIV. in Muscettul.* (b) *Cap. II. ex. de sponsalib.* (c) *Cap. VIII. ex. de desponsat. impuber.* (d) *Cap. un. de voto in 6.*

ligatio potius in suspenso est, quam solvitur; relictus vero ab initio liberatur. IV. solvuntur sponsalia sequenti alterius fornicatione, idque in solius innocentis favorem (*a*), & constanti & insigni alterius infirmitate, aut deformitate, quae supervenit, veluti si mulier leprosa fiat, aut paralytica, vel oculos aut nasum amittat, seu quidquam aliud ei turpius advenerit. Omnibus nempe pactionibus natura sua inest conditio *rebus ita stantibus*: multo magis id valere debet in sponsalibus, quae mutuo amore sustinentur. Sed non omnis superveniens mutatio sponsalia dissolvit, sed tantum ea, quae si praevisa fuisset, sponsalia omnino contracta non essent. Solvuntur V. sponsalia per profectionem alterutrius ad longinqua sine alterius consensu, respectu tamen partis relictae (*b*).

☞ *Ex Constitutionibus Regni sponsalia ita necessaria visa fuerunt simul cum cæteris Juris Canonici publicis sollemnitatibus, ut iisdem deficientibus matrimonium clandestinum dictum fuerit; nec filii ex eo orti legitimi successores haberentur, imo dotem mulieres amitterent, exceptis viduis quæ ad celebrationem sponsalium, & publicam sacerdotalem benedictionem recipiendam haud obstringebantur: ita sanxit rex Rogerius* lib. 3. const. Regni Siciliæ Tit. 22. de Matrimoniis contrahendis *ubi hæc:*
„ *Sancimus lege praesenti volentibus omnibus con-*
„ *trahere matrimonium necessitatem imponi univer-*
„ *sis hominibus regni nostri, & nobilibus maxime*
„ *post*

(a) *Cap. XXV. ex. de jurejur.* (b) *Cap. V. ex. de sponsalib.*

„ post ſponſalia celebrata ſollemnitate debita, & „ ſacerdotali praemiſſa benedictione matrimonium „ ſollemniter, & publice celebrari. Alioquin noverint amodo monentes contra noſtrum regale edictum neque ex teſtamento neque ab inteſtato ſe abituros hæredes legitimos ex Clandeſtino matrimonio, & illicito ad noſtram ſanctionem procreatos: Mulieres etiam dotes aliis „ nubentibus legitime debitas non habere. Rigorem cujus ſanctionis remittimus viduis volentibus ducere virum. „

Etas in iis, qui ſponſalia contrahunt neceſſaria jure Siculo eſt ea, que ad cæteros contractus ineundos requiritur, adeoque patet pupillos pupillaſve abſque auctoritate tutorum contrahere non poſſe, ut habetur ex Cap. 72. Caroli 2. *Quo melius quam legibus romanis infirmæ & imprudenti ætati conſultum, & proviſum, ait* Franciſcus Teſta in notis ad hoc capitulum. *Romanis enim legibus, ut minores nuptias contraherent curatoris vel propinquorum auctoritas & judicium minime requirebatur l. 1. & 2. Cod. de nuptiis.*

CAPUT XXVIII.

De matrimonio.

Matrimonium a Deo inſtitutum.

§. I. SAnctum matrimonii foedus a Deo ipſo ad humani generis propagationem inſtitutum eſt. Etenim humanum genus a Deo conditum ex conditoris intentione non unius aetatis ſpatio, ſed potius in longum aevum, que-

quemadmodum & cetera animantia, existere, oportebat. Hinc quoniam homines morti erant obnoxii, Deus ut nova semper prole fati damna repararet, medium instituit ad hominum perennem generationem (*a*). Poterat quidem Deus semper ex limo terrae homines creare, at pro sapientia sua melius esse vidit, vim generationis hominibus ipsis tribuere; sic enim hominum propagatio reliquorum animantium etiam plantarum generationi conveniebat: & vita hominum socialis & mutua inter eos amicitia ea ratione fortius fovebatur. Hinc homines, non secus ac reliqua animantia & plantae ipsae, mares & feminae creati, hinc membra in maribus & feminis ad generationem apta, hinc mutuus & vehemens utriusque sexus inter se amor, hinc liberorum appetitus. Non ergo tantum bonae, sed etiam necessariae ex creatoris intentione nuptiae sunt. Et errarunt profecto Democritus & Epicurus, qui matrimonium reprobabant, ut sollicitudinum & tristitiae fontem uberrimum: ut & Stoici, qui veluti rem indifferentem nuptias traducebant. Multo magis errarunt post evangelii lumen multi haeretici, qui nuptias veluti corruptionem & stuprum dictitabant, quo nomine celebres fuerunt Encratitae & Manichaei, qui feminam a Deo malo conditam docebant; atque adeo qui se nuptiis copularet, opus malum perficere (*b*). Paullo modestius,
 sed

(a) *Confer. Pufendorf. de jure nat. & gent. lib.VI. cap.* 1. §. 2. (b) *Clemens Alexandr. strom. III. cap.* 9., *Epiphan. haer. XLV.* §. 2.

ſed nihilo minus falſo, docebant Hieracitae & Euſtathiani nuptias in veteri teſtamento licitas fuiſſe, ſed poſt Chriſti adventum reiiciendas, utpote quibuſcum regnum coeleſte obtineri nequeat (*a*). Etenim Chriſtus tantum abeſt, ut nuptias reprobarit, ut potius eas nova cumularit benedictione.

Fines matrimonii.

§. II. Plures autem ex ipſius naturae ſcitis ſunt matrimonii fines. Praecipuus eſt liberorum procreatio; quo ſpectant inſtrumenta generationis, quibus mas & femina donantur, mutuus inter conjuges amor, & ex ipſa corporum conjunctione promanans voluptas. *Propagatio liberorum*, inquit Auguſtinus (*b*), *prima eſt & naturalis cauſſa nuptiarum*. Alter aeque principalis matrimonii finis eſt liberorum educatio: parum enim certe eſt filios genuiſſe, niſi etiam educentur: natura infantes recens nati ſibi non ſufficiunt; & deinde dum adoleſcunt, longa & ſtudioſa inſtitutione indigent. Hinc tener amor parentibus erga filios ſuos inditus, ut ſcirent, ſe ad eos educandos teneri; idque etiam bruta natura ipſa impellente faciunt (*c*). Eſt & tertius nuptiarum finis ex prioribus proficiſcens, ut conjuges in totius vitae neceſſitatibus ſe mutuo adjuvent: quem finem etiam expreſſit Deus, quando Evam creatu-

(a) *Epiphan. haer. LXVII. §. 1. Confer. Bingham. orig. eccleſ. lib. XXII. cap. 1. §. 5. ſeqq.* (b) *Auguſt. lib. I de adulter. conjung.* (c) *Confer. Heinec. elem. jur. nat. lib. II. cap. 2. §. 27.*

turus dixit, *faciamus ei adjutorium simile sibi* (a). Sed quando nulla subest spes humani generis propagandi, solius adjutorii gratia contrahere matrimonium, fortasse naturae instituto non convenit; in hac enim specie adjutorium istud potius oneri, quam subsidio videtur esse. Quae quum ita sint, extra naturae fines est, instrumentis generationis uti non ad hominum propagationem, aut solius explendae libidinis caussa nuptias contrahere (b): voluptas enim in nuptiis potius generationi inservit, quam veluti finis principalis spectari potest. Et si apostolus vult, ut qui coelibes esse non possunt, nuptiis illigentur, ut τό πυροῦσθαι *ustio* extinguatur (c); non permittit quidem ut ob solam voluptatem nuptiae contrahantur; sed potius ut servientes humani generis propagationi, consequenter etiam libidines extinguant: quo sensu locuti videntur Chrysostomus (d) aliique ex veteribus, qui etiam ad exstinguendam libidinem nuptias institutas adfirmant.

Vagae conjunctiones obstant generationi.

§. III. Quando autem ad filiorum generationem & educationem & ad mutuum viri & mulieris auxilium nuptiae institutae sunt; profecto ordine quodam firmisque legibus contrahendae sunt, ut vagis conjunctionibus eliminatis, & proles humana felicius proveniat, & civitates beatius stent. Sane more brutorum hominum

 ge-

(a) *Genes. II.* 18. (b) *Confer. Pufendorf. de jure nat. & gent. lib. VI. cap.* 1. §. 4. (c) 1. *Cor. VII.* 9. (d) *Chrysost. de virginit. cap. XIX.*

generatio & educatio inter vagas incertasque conjunctiones recte non procedit. Brutorum femellae certam stabilemque gignendi servant rationem, quam nulla ratione turbant: brutorum filii non adeo longa & studiosa cura indigent; cui officio plerumque sola mater sufficit. At in hominibus fere omnia contraria. Mulieres constantem generandi rationem non servant, eamque pudore, odiis, formae conservandae studio saepe restinguunt. Concubitus incerti non multum ad generationem, nihil vero ad educationem proficiunt. Pater enim utpote incertus quî alet, quos suos filios esse nescit? Et mater, cui in hac specie tantum onus incumberet, pudore, legibus civitatis, naturali imbecillitate veluti naturam exuet & educationem derelinquit (*a*). Ad haec familiae, quarum foedere civitates coalescunt, ubi per vagas & incertas commistiones homines progignuntur, nullae sunt. Et certe confusio potius quam civitas videri poterat uxorum communio, quam Aethiopes Garamantici, Britanni, Heliopolitae aliaeque barbarae gentes induxerunt (*b*). Solinus siquidem lasciviam Garamantum describens adfirmat, inter eos nullum filium adgnoscere, nec patrem revereri (*c*). Quod si Platoni etiam communio uxorum in republica sua placuerit, id ei tamquam crimen ab ethnicis philosophis & a patribus ecclesiae intenditur, nisi forte ita com-

---

(a) *Confer. Montesquieu l'espri. de loix lib. XXII. chap.* 1. 2. (b) *Confer. Pufendorf. loc. cit.* §. 15. (c) *Solin. cap. XXX.*

communio illa cum Clemente Alexandrino accipi debeat, quasi Plato dixerit, nondum nuptas mulieres esse communes eorum, qui essent petituri, non postquam nupsissent (*a*).

☞ *Hac de re summopere commendanda Regni nostri prudens legislatio qua ab anno 1515 effrons turpium mulierum libido, quae corporum suorum lucrum facientes vagis conjunctionibus sacrosanctas matrimonii leges violabant, gravissimis poenis cohibita est. Confer pragmaticam sanctionem* Lib. 3. Tit. 84. de Lenonibus *qua pœna truncationis nasi indicitur lœnis sollicitantibus pudicitias uxorum, filiarum, sororum ac quarumlibet virginum vel aliarum honestarum mulierum, quas vir bonus aliquis intra domus suæ septa tenere noscitur; quæ vero suasionibus animos mulierum sui juris existentium ad fornicandum allexerint legitima probatione convictæ prima vice pœna fustigationis ac signationis in fronte, deinde pœna truncationis nasi puniuntur; quamvis* tit. 85. *sequenti eadem pœna a Rogerio Rege indicta matribus publice suas filias prostituentibus mitigetur respectu earum quæ consensientes filias quas propter inopiam nedum matrimonio jungere sed etiam alere non possunt alterius voluptatibus exponunt.*

Verum cum harum legum robur annorum lapsu aliquantulum remissum esset nova sanctione die 10. *Martii an.* 1773. *antiquæ constitutiones Rogerii, & Friderici renovantur, ac nonnulla præscribuntur ad vagos concubitus extirpandos: ac*

(a) *Clemens Alexandr. strom. III. cap.* 2.

ac 1. *ut post angelicam salutationem nulli turpium mulierum liceat per vias publicas deambulare, aut publicis in locis etiam sub prætestu victum emendicandi permanere poena fustigationis transgressoribus indicta; imo ei quæ sub viri habitu alienæ pudicitiæ insidiatur pœna triennalis carceris adjungitur; quod extensum est ad viros qui vi, ac dolis mulieres seducunt* 2. *ut viri qui cum hisce mulieribus post salutationem angelicam deprehensi fuerint triennali exilio puniantur*. 3. *meretricibus publicis extra civium habitationem permanere jubetur.*

Definitio matrimonii.

§. IV. Nuptiae sive matrimonium ex creatoris institutione videntur esse societas individua, quam masculus & femina procreandae & educandae sobolis & mutui praesidii gratia ineunt. Etenim ubi Deo placuit, ut humanum genus ex semine ab ipsis hominibus propagaretur; hominem masculum & feminam creavit, benedixitque illis, ut crescerent & multiplicarentur (*a*). Feminam autem non ex limo terrae Deus condidit, sed ex una ipsius Adae costa (*b*), ut & viro adjutorio, & duo in una carne essent. Itaque inter primos homines arctissima & individua consuetudo instituta est, & ad filiorum generationem & educationem & ad mutuum praesidium. Et inde futuris nuptiis data lex: quod enim femina caro & os de carne & ossibus viri esset, divino instinctu Adam dixit, *quam ob rem relinquet homo patrem suum*

&

(a) *Genes. I. 27. seq.* (b) *Genes. II. 24.*

& matrem. & adhaerebit uxori suae; & erunt duo in carne una (a). Hinc non recte Grotius conjugium *naturaliter* esse ait *talem cohabitationem maris cum femina, quae feminam constituat quasi sub oculis & custodia maris*, cui cohabitationi *accessit fides, qua se femina mari obstringit* (b). Potius enim individua vitae consuetudine & mutuo adjutorio, quam cohabitatione, quae feminam sub costodia viri constituat, nuptiae aestimandae sunt. Ceterum Grotius eam conjugii descriptionem commentus est, ne natura matrimonii polygamiae adversari videretur.

Matrimonium etiam sacramentum.

§. V. Natura & origine sua matrimonium contractus est, quem gentes omnes sollemni & religioso ritu & divinis auspiciis captis contrahere consueverunt; religione enim videbatur consecrandum negotium illud, unde status civitatum pendebat. Sed apud christianos nuptiae praeterquam quod contractus naturam retinuerint, etiam sacramenti religione consecratae sunt quae est ecclesiae doctrina. Duplici autem ratione nuptiae ex christiana doctrina sacramenti religione censentur, & quod rem arcanam, unitatem nempe Christum inter & ecclesiam significant: & quod gratiam in conjugatos effundant. Et quidem nuptiis exprimi conjunctionem inter Christum & ecclesiam ipse apostolus docuit; matrimonium enim μυςήριον μέγα *sacramentum magnum*

(a) *Genes. II. 24.* (b) *Grotius de I. B. ac P. lib. II, cap. 5. §. 8.*

gnum dixit, sed *in Christo & in ecclesia* (*a*): eoque praesertim nomine patres sacramenti nomine nuptias condecorant. Quo sensu matrimonium a prima institutione sacramentum fuit, quod Leo M. (*b*) docet, & Jo. Launojus (*c*) pluribus adstruit. Porro fidelium matrimonium etiam eo sensu sacramentum est, quod sub signo sensibili gratiam effundit, per quam conjuges coelesti benedictione augentur, quidquid lutei nuptiis inest, purificatur, & vires dantur ad fovendam individuam totius vitae conjunctionem & liberorum educationem. *Unde sufficiam*, inquit Tertullianus (*d*), *ad enarrandam tantam felicitatem matrimonii, quod ecclesia conciliat & confirmat oblatio & obsignatum angeli renuntiant*. Et Ambrosius matrimonium *velamine sacerdotali & benedictione sanctificari* adfirmat (*e*). Paulinus etiam docet, conjuges *prece sanctificari* (*f*). Et ut alios mittam Chrysostomus adfirmat, precibus & benedictionibus conjugium constringi, *ut amor sponsi augeatur, & puellae continentia crescat* (*g*). Itaque ex christiana doctrina matrimonium sacramentum est, quo non solum conjunctio inter Christum & ecclesiam significatur, sed etiam gratia confertur ad familiae onera sustinenda.

Matrimonii species

§. VI. Passim theologi nostri matrimonium divi-

(a) *Ad Ephes. V* 32. (b) *Leo M. ep. XCII. ad Rustic. Narbonens*. (c) *Launojus de regia in matrim. potest. par. I. art. 2. cap.* 11. (d) *Tertull. lib. II ad uxor cap. ult.* (e) *Ambros. ep. LXX.* (f) *Paulin. in epital.* (g) *Chrysost. hom. XLVIII. in Genes.*

vidunt in *legitimnm ratum*, & *consummatum*. Legitimum secundum leges gentium contrahitur, non autem in fide Christi, qualia sunt infidelium & Judaeorum matrimonia. Ratum, quod etiam *initiatum* dicitur, est ab ecclesia adprobatum, & a fidelibus ex regulis christianae religionis contrahitur, sed nondum corporum conjunctione in usum deductum est, significatque Dei cum anima justi conjunctionem per caritatem. Consummatum vero est matrimonium, si corporum conjunctio accedat, exprimitque praeterea conjunctionis Christi cum ecclesia sacramentum (*a*), cujus sacramenti ratione *perfectum & consummatum* dicitur; nam ratione contractus, aut alterius sacramenti, quod gratiam effundit, etiam ratum matrimonium perfectum est. Hoc sensu rata & consummata matrimonia in genuinis veterum patrum operibus vix occurrunt: hi enim generatim adserunt, matrimonium conjunctionis Christi cum ecclesia esse sacramentum. Fortasse primus Gratianus hanc distinctionem invenit, ut quae retulerat veterum monumenta, in concordiam reduceret. Sane in monumentis per Gratianum relatis modo dicitur, neutrum ex conjugibus sine alterius venia posse continentiam profiteri (*b*), modo etiam sine alterius consensu posse conjugem converti (*c*): & praeterea conjugium modo separabile (*d*), modo individuum exhibetur. Haec omnia distinctione adhibita con-

(a) *Cap. V. ex.de bigam.non ordinand.* (b) *Can. XXIII. & seq. C.27.q. 2.* (c) *Can. XXVII. seq.eod.* (d) *Can. XXIX. eod.*

conciliari posse putavit Gratianus, ut nempe quae de non separando conjugio loquebantur monumenta, de *perfecto & consummato*: quae vero separabile conjugium indicabant, de *initiato* nec in usum corporum deducto intelligerentur (*a*). Et quamvis sub nomine Augustini & Leonis M. fragmenta retulerit, quae imperfecta habere videntur matrimonia, ubi corporum commistio nulla fuerit (*b*); tamen fragmenta ista vel spuria sunt vel interpolata; quod Romani correctores & Stephanus Baluzius observant.

Sacramenti matrimonii materia & forma.

§. VII. Quod vero spectat ad elementum & verba, quibus matrimonii sacramentum coalescit, theologi disputant, ecclesia silet. Eorum multi ipsos contrahentes materiam, & verba, quae consensum exprimunt, formam esse contendunt. Alii verba ipsa, seu consensum mutuum verbis aut signis expressum materiam & formam diversa ratione faciunt; materiam, quatenus determinantur, formam quatenus determinant, cui opinioni B. Thomas (*c*) patrocinari videtur. Sed verior videtur sententia illa, quae ipsum matrimonii civilem contractum elementum matrimonii facit, benedictionem vero sacerdotis formam: quod theologi primi subsellii Melchior Canus, Estius, Drouvenus aliique docent. Sane id est sacramenti elementum, quod, verbo accedente, fit

(a) *Gratian. ad calcem can. XXXIX.* (b) *Can. XVI. & seq. eod.* (c) *S. Thomas in IV. sententiar. dist 26. q. 2. art. 1.*

fit ſacramentum: contractus autem matrimonii per ſacerdotalem benedictionem ſacramenti naturam induit: conſtans enim eſt patrum ſententia, nuptias per benedictionem ſanctificari. Tranſverſos in hac cauſſa ſcholaſticos egit utriusque juris ſententia, matrimonium conſenſu perfici: atque ita materiam & formam ſacramenti in ipſis contrahentibus quaeſiverunt. Sed facile erat obſervare, conſenſu contractum matrimonii perfici, non vero ſacramentum; tum enim ex ſententia veterum patrum nuptiae gratia & coeleſtibus benedictionibus implentur, ſi eas ſacerdotes benedicant.

Miniſter ſacramenti matrimonii.

§. VIII. Porro non ſecus de elemento & verbis, ita, quod conſequens erat, de matrimonii miniſtro inter theologos non convenit. Scholaſtici pro maxima parte docent, ipſos contrahentes ſacramenti miniſtros eſſe. Contra theologorum graviſſimi Melchior Canus, Eſtius, Tornelius, N. Alexander aliique ſacramenti matrimonii miniſtrum ſacerdotem eſſe contendunt. Quae ſententia omnino praeferenda eſt. Et ſane ille jure dici poteſt hujus ſacramenti miniſter, cujus ſolius eſt eam nubentibus benedictionem impendere, unde neceſſario gratia ſacramenti derivatur. Soli autem ſacerdotes a prima eccleſiae aetate ſacra benedictione nuptias inter Graecos & Latinos conſecrarunt (a), eaque benedictione

D 2 ſpon-

(a) *Tertull. lib. II. ad uxor. cap. ult.*, *conc. Carthag. IV. can.* 13. *can. II. C.* 30. *q.* 5., *Balſamon in Photii nomo-can. tit. XIII. can.* 2.

sponsi sanctificati sunt (*a*). Et inde est illa matrimonii definitio paucis a Basilio comprehensa, *jugum quod per benedictionem subitur* (*b*). Multa quoque paradoxa enarrat Estius, quae ex opposita sententia sequuntur, ut quod sacramenti matrimonii minister non sit unus, sed duo; non ordinati sed laici, vir & mulier: quod iidem suscipientes & conferentes: quod forma consistat etiam sine verbis; nam nutu aliove signo expressus consensus ad matrimonium sufficit: quod nullam contineat sacram caerimoniam & hujus generis alia. Sententia, quae ipsos contrahentes ministros matrimonii facit, ab eodem fonte videtur derivata, quo sententia quae in ipsis contrahentibus materiam & formam sacramenti posuit: a legum nempe & canonum doctrina, quae habet, nuptias consensu perfici. At etiam hac in re scholastici contractum & matrimonii sacramentum miscuerunt: constat contractus consensu, at sacramentum per hierologiam perficitur: eaque deficiente nuptiae, etsi inter christianos contractae, legitimae, non sacrae videntur esse.

Matrimonium consensu contrahitur.

§. IX. Jam vero caussa efficiens contractus matrimonii est mutuus contrahentium consensus, quo verbis aut signis declarant, se in individuam vitae consuetudinem consentire: in quam sententiam & leges civiles & canones consentiunt (*c*). Est namque matrimonium societas & so-

(a) *Ambros. ep. LXX., Chrysost. hom. XLVIII. in Genes.* (b) *Basil. hom. VII. in hexaëmer.* (c) *L. XXX D. de reg. jur., can. I & II. C. 27. q. 2., cap. XIII. seq. ex. de sponsalib.*

& ſocietates conſenſu contrahuntur. Hinc ut matrimonium perfectum ſit, neceſſe non eſt, ut corpora miſceantur; fit etiam matrimonium conſenſu animorum, non corporum. Et ſi in jure Romano nuptiae dicuntur *viri & mulieris conjunctio* (a), id minus proprie dictum videtur; & conjunctio illa potius eſt conſenſus ad inducendam conjunctionem, quo ſenſu effectus pro cauſſa ſumitur, quod Gerardus Noodt obſervat (b). Hinc illa Ulpiani doctrina, qui abſens accepit uxorem, ſi rediens antequam uxorem domum ducat, perierit, ab uxore lugendus eſt (c). Inde etiam poteſt evenire, ut aliqua virgo *& dotem & de dote habeat actionem*, quod Paulus tradit (d). Et profecto errat Gratianus, qui ad matrimonii naturam etiam corporum conjunctionem & uſum credit neceſſarium (e). Conſenſus autem iſte, quo nuptiae perficiuntur, finem habet corporum conjunctionem & liberorum procreationem: qua ratione Romani tabulis nuptialibus inſerebant, ſe liberorum quaerendorum gratia nuptias inire, ut Auguſtinus teſtatur (f). Quod ſi inter B. Mariam virginem & S. Joſeph verum conjugium fuit, etſi illa in corporum conjunctionem non conſenſerit; virginitatis enim votum ſemper ſervavit; nodus hic theologos exercet; quorum aliqui adfirmant, B. Virginem conſenſiſſe in ſui corporis traditionem, non vero in actum conjuga-

(a) *Pr. tit. inſt. de patria poteſt.* (b) *Noodt in tit. DD. de ritu nupt.* (c) *L. VI. D. de ritu nuptiar.* (d) *L. VII. D. eod.* (e) *Grat. ad can. XVIII. C. 27. q. 2.* (f) *Aug. ſerm. CCXLIV.*

galem, quod Deo revelante praesciverat, virum suum ad corporum conjunctionem non venturum (*a*). Ceterum etiam vicaria alterius opera edi potest in nuptias consensus, modo ad id speciale mandatum detur, procurator datus per se mandatum impleat, & mandans tempore contracti matrimonii in consensu perseveret (*b*).

Qui error vitiat matrimonium.

§. X. Quoniam vero consensus contrahentium in primis nuptias facit, ubi amborum aut unius consensus deficit, nuptiae nullae sunt. Itaque si per errorem matrimonium contrahatur, nullum est, quod qui errant, non consentiunt (*c*). Etenim qui errant, rem concipiunt ab objecto discrepantem, ac ita dici non potest, errantes consentire. Sed distinguere oportet, an error sit circa personas contrahentium, an circa qualitates. Etenim si contrahentes in persona ipsa errent, puta si Maevius cum Caja contrahere intendens, per errorem aliam ducat; omnino nullae sunt nuptiae, etsi errore perseverante corporum conjunctio secuta fuerit. Sed si tantum in qualitatibus personae erretur, puta si quae pulchra, aut dives putetur, inde deformis, aut pauper inveniatur; matrimonium non vitiatur: talis enim vere in personam consentit: nisi error qualitatis, inquit S. Thomas, *redundet in personam*, hoc est si contrahens ita adhaesit illi qualitati, ut si haec

(a) *Confer. Drouven. de re sacram. lib. IX. q.* 1. §. 3. (b) *Cap. ult. de procuratorib. in 6.* (c) *L. LV. D. de obligatione & act.*

haec abesset, matrimonium non contraxisset; veluti si principis offeratur filia, tamquam primogenita & heres regni, quae talis non est (a). At quoniam matrimonium est individuum & maximi momenti negotium, non facile praesumendum, contrahentes accidentalibus qualitatibus adhaerere. Ceterum consensus etiam praesumtus errori superveniens nuptias irritas convalidat: & reipsa ex sequente consensu valere coeperunt nuptiae, quas Jacob Rachelem ducere intendens, per errorem cum Lia contraxit (b).

An metus vitiet matrimonium?

§. XI. Porro non est in nuptias consensus, atque ideo nullae nuptiae, si ex vi metuque gravi exterius illato contrahantur. Metus est instantis vel futuri periculi caussa mentis trepidatio, crescitque prout periculum, quod timetur, gravius & praesentius est, & prout variant personarum qualitates; non enim omnium una est animi constantia pro ratione aetatis, sexus, valetudinis. Quando metus intrinsecus & ex animi affectibus nascitur, homines libere agere censentur; at si metus ab homine extrinsecus inferatur, quamvis non omnino consensum tollat (atque ideo qui per metum scelera admittunt, scelerati censentur); tamen coactus iste consensus ex gravi metu extortus non videtur sufficere ad negotia contrahenda, saltem ea quae ex bona fide descendunt (c): etenim qui ex tali metu contrahit, profecto non

(a) *S. Thomas in IV. sentent. dist.* 30. *q.* 1. *art.* 2.
(b) *Genes.* XXIX. 28. (c) *L. CXVI. D. de reg jur.*

non contraxiſſet, ſi metus abſuiſſet. Multo minus valent matrimonia per metum, qui exterius infertur, inita; etenim matrimonio directe metus adverſatur; eſt enim ſocietas, quae mutuo amore & caritate coaleſcit, & potius animos, quam corpora conjungit. Sed metus debet eſſe gravis & non vani hominis, quo aliquis ducat uxorem, quam ſi ſui arbitrii eſſet, non duxiſſet: nam qui levi metu ad nuptias animum adiiciunt, utpote qui non adeo adverſante animo ſunt, non ſunt audiendi (*a*). Nihil vero intereſt, utrum metus ab altero contrahentium, an a patre, an ab alio inferatur (*b*); ſemper enim nullae ſunt nuptiae, modo directe in finem contrahendi matrimonii inferatur (*c*), & qui metum infert, id nullo jure faciat: nam ſi quis metu poenarum a magiſtratu cogitur mulierem, quam violavit, uxorem ducere, matrimonium ſubſiſtit: magiſtratus enim jure cogit: & actio imperio ejus, cui cogendi jus eſt, ſuſcepta, agenti imputatur. Quod ſi filius reverentia erga patrem ductus, ſed nullis minis aut verberibus, contrahat, nuptiae valent: non enim id improbant boni mores (*d*).

Conſenſus patris an neceſſarius in nuptiis filiorum?

§. XII. Praeter conjugum conſenſum ubi filiifamilias nuptias ineunt, etiam parentum, ſub quo-

---

(a) *Cap. XXVIII. ex. de ſponſalib.* (b) *Cap. XI. ex. de deſponſat. impub.* (c) *Confer. Gonzalez in cap. XV. ex. de ſponſalib. n. 4.* (d) *Confer. Gerard. Noodt in tit. DD. de ritu nuptiar.*

quorum potestate sunt, consensus requiritur: quod jus natura ipsa duce omnes peraeque gentes servarunt (*a*), in primis Romani, apud quos invito patrefamilias a filiis contractae nuptiae prorsus irritae & nullius effectus erant (*b*). Ecclesia in imperio nata leges civiles secuta est praesertim in caussa honesta, ubi ipsa natura suadet, ut sine parentum consensu filii matrimonia non contrahant. *Nec in terris*, inquit Tertullianus (*c*), *filii sine consensu patrum rite & jure nubunt*. Et Basilius (*d*), *quae sine iis, qui habent potestatem, fiunt matrimonia, sunt fornicationes*: spectatque hic Basilii canon non minus filios, quam servos. Similiter synodus Aurelianensis IV. *matrimonium contra voluntatem parentum impie copulari* decernit (*e*). Et ut multa alia mittam, Nicolaus papa, *foedera quoque consensu eorum, qui haec contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur* (*f*). In ecclesia hoc jus usque ad saeculum XII. stetit, quod Jueninus (*g*) probat. Inde sub praetextu libertatis matrimonii nova invaluit doctrina, quae peccare graviter filios asserit, ubi sine parentum suorum consensu nuptias, prae-

 ser-

(a) *Confer. Mazochius in dissert. Muscettulae de sponsalib. & matrim. filiorumfam. not. XVII.* (b) *Pr. tit. instit. de nuptiis, L. II. D. de rit. nupt., L. XII. C. de nuptiis.* (c) *Tertull. ad uxor. lib. II. cap. 9.*
(d) *Basilius ep. can. ad Amphiloch. can. XLII.*
(e) *Conc. Aurelian. IV. can. XXII.* (f) *Can. II. C. 20. q. 5.* (g) *Juenin. de sacram. diss. X. q. 5. cap. 3. art. 1.*

sertim indignas, ineunt; at ita contractas validas habet: quae doctrina in praxim deducta est. Sed libertas matrimonii potius in eo consistere videtur, ut infirmum filiorum consilium ratione patris regatur, quam ut filii pro libidine & licentia sua nuptias ineant: etenim quo magis cum ratione homines operantur, eo majori libertate utuntur. Inde Tridentini patres professi sunt, ecclesiam omni tempore detestatam esse & prohibuisse matrimonia filiorumfamilias invitis parentibus contracta; sed ea non irritarunt, quin firma reliquerunt (*a*). Hinc canon minus quam perfectus videri potest eo sensu, quod matrimonia filiorumfamilias invitis patribus contracta vetat, sed contracta non rescindit. Itaque tristis & inauspicata matrimonii libertas apud catholicos viget. At in Gallia regum edictis matrimonia filiorumfamilias invitis parentibus inita habentur *invalide contracta*: quod alii de solis civilibus effectibus interpretantur (*b*), alii vero ita accipiunt, ut omnino contractus nullus & irritus sit (*c*). Et multarum gentium legibus parentes filios suos talia matrimonia contrahentes exheredes scribere possunt.

Quod

(a) *Trid. sess. XXIV. de ref. matrim. cap.* 1.
(b) *Conf. N. Alexander lib. II. theol. dogm. & moral. de matrim. cap.* 12. *art.* 3. (c) *M. de Lamoignon de M. Talon ap. M. le Vayer de Boutigny de l' autorité des Rois touchant l' administration de l'eglise tom. II. p.* 188. *seqq.*

☞ *Quod Carolus II. Austriacus cap. 72. edixerat neminem scilicet subditorum nuptias contrahere posse cum minori absque consensu tutoris curatorisve, & duorum cognatorum in gradu proximiorum sub pœna capitis, bonorumque confiscationis, nova pragmatica sanctione Regis Ferdinandi III. an.* 1771. (*quam adeas* Tom. 4. pragm. lib. 11 *de rebus sacris, & eccles. tit. de Parochis prag.* 2.) *aliquantulum reformatum, ac longe melius publicæ tranquillitati provisum est. In ea siquidem vetatur filios familias cujuscumque conditionis sive sub patria potestate constitutos, sive emancipatos sine parentum, vel eorum qui parentum vicem gerunt, jusque patriæ potestatis exercent consensu, nuptias contrahere posse; cujus quidem consensus publicum documentum in scriptis Parocho debent exhibere. Qui contra hanc legem matrimonium contraxerint impune exhæredes scribi posse, ac mulieres dote privari decernitur. Quin imo Regni magistratibus a limine judicii repellere jubetur filias quæ paragium adversus parentes expostulant, quoties isti probent illas matrimonium absque eorum consensu iniisse; quod tunc locum habet ubi Pater, vel avus ob Patris defectum ante matrimonii celebrationem aut statim ejusdem habita scientia cædulam filiæ coram loci magistratu inscribat, qua se ad paragii solutionem minime adstrictum dicat ob nuptias contra suum propositum celebratas.*

Ne vero parentes legitimo hoc jure divinis humanisque legibus concesso abutentes imprudenti, intempestivoque dissensu filiorum matrimonia perturbent ab onere paterni consensus expostulandi eadem regia constitutio excipit masculos, qui vi-

gesimum quintum, ac feminas qui trigesimum ætatis annum attigerint modo honestis personis parisque conditionis nubant. Ac ipse sapientissimus rex suprema auctoritate paterni consensus defectum supplere pollicetur, quoties id subditorum tranquillitas expostulare videbitur. Hac lege sub die 10. Aprilis an. 1771. populis publicata Archiepiscopus Panormitanus, ac Vicarius Capitularis Messanensis nonnulla proposuerunt dubia authentica principis interpetratione definienda. Quærebant itaque primo num in viduarum matrimoniis quæ municipali lege a patriæ potestatis vinculo liberantur necessarius esset parentum consensus? secundo; Qui veniant nomine Parentum? Tertio quid agendum si parentes scribere nesciant? Quarto vel si pater absens erit? Quinto an hoc casu sufficiat Matris consensus?

Ad haec omnia illustranda idem Monarcha die 26. Octobris ejusdem anni 1771. declaravit: Primo; Necessitatem paterni consensus viduitate non abrogari. Secundo nomine parentum venire Patrem sponsi, ac sponsæ, & ob hujus defectum ascendentes ulteriores, haud vero requiri Matris consensum, licet hujus oppositio admittatur si rationi conformis ab ipso principe videbitur. Tertio Parentes scribere nescientes per acta publici Notarii consensum praestare debere. Quarto; Patrem non existimandum absentem si intra Regnum sit, vel extra, dummodo ire, ac redire solitus sit, vel reditui proximus. Quinto si Pater vere absens est, nec de reditu sperare licet, Matris consensus haud necessarius nec aliorum cognatorum, sed tantum eorum admittenda oppositio si ita decere existimabitur.

Ma-

Matrimonium sub conditione.

§. XIII. Consensus autem, quo nuptiae contrahuntur, purus esse debet: & si sub vera conditione exprimatur, nuptiae statim contractae non videntur. Vera conditio in futurum concipitur, & ab incerto futuro eventu actum suspendit; & quae in praeteritum aut praesens tempus concipitur, *figuram non vim conditionis continet*, ut Proculi verba usurpem (*a*). Si itaque matrimonium sub vera & possibili conditione contrahatur, suspenditur matrimonialis consensus, & propterea nisi existente aut remissa conditione nuptiae contractae non censentur (*b*); existente autem aut remissa conditione novus consensus non videtur necessarius (*c*). Quod si sub conditione in praesens aut praeteritum tempus concepta matrimonium ineatur, veluti *contraho tecum, si es virgo*, statim aut verum, aut nullum est; quae enim per rerum naturam certa sunt, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint (*d*). Verum si conditio addatur, quae turpis aut impossibilis sit, nullum esse matrimonium Gregorius IX definit, si adjecta conditio sit contra substantiam matrimonii, veluti contraho tecum, si generationem evites, aut donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem; valere vero sub quacumque alia turpi vel impossibili conditio-

tio-

(a) *L. LXIX. D. de hered. instituend.* (b) *Cap. III. ex. de conditionib. adposit.* (c) *Conf.* 3. *N. Alexand. loc. cit. lib. II. cap.* 2. *reg.* 16. (d) *§: V. inst. cipal. de verb. obligat.*

tione, idque quod favore matrimonii hujusmodi conditiones pro non adjectis reputantur (*a*). Sed sapientiores interpretes hanc doctrinam potius de modis & *conditionibus resolutivis*, ut appellantur, quibus non impleto modo adjecto matrimonium resolvatur, quam de veris conditionibus, accipiunt (*b*). Quo posito doctrina pontificis clara est. Etenim qui in modum fini contrarium consentiunt, non videntur consentire: consentiunt vero qui sub quocumque alio turpi modo contrahunt, veluti si quis dicat, contraho tecum si in furtis admittendis mihi opem praestes. Et quoniam nuptiae apud christianos, utpote individuae, resolvi non possunt, adjectus turpis modus naturae matrimonii non contrarius pro non adjecto habetur. Ceterum moribus praesentibus conditionata matrimonia admitti non solent.

Sollemnitas nuptiarum apud gentes.

§. XIV. Hactenus de consensu matrimoniali, videndum nunc qua forma edi oporteat, ut nuptiae legitimae & sacrae sint. Interest reipublicae nuptias palam & sollemniter contrahi, ut constet inter cohabitantes virum & mulierem matrimonium esse contractum, ut omnis vagae libidinis suspicio evitetur, & familiarum status firmior evadat, & liberi in spem patriae adolescant. Hinc gentes omnes in primis Judaei, Graeci & Romani matrimonia publicis & sollemnibus ritibus contrahi voluerunt. Specia-

(a) *Cap. ult. de conditionib. adposit.* (b) *Gonzalez in cit. cap. ult. num. 7.*

clatim Romani tribus sollemnibus modis nuptias contrahebant, farre, coëmtione, usu, quos ritus Raevardus, Brissonius, Sigonius, Heineccius aliique illustrant. Nova quoque nupta in domum viri sollemniter deducebatur: & uterque conjux coronis & sertis redimiri solebant. Tribus his modis contractis nuptiis mulier in manum viri transibat, eique filiafamilias fiebat, eratque inter eos omnis humani & divini juris communicatio. Ubi vero mulieres in manum viri transire nolebant, aliis legitimis modis nuptiae contrahebantur: etenim sufficiebat, consensum in nuptias declarari coram testibus, sive intervenirent tabulae nuptiales, sive sine scriptis ea testatio fieret (*a*). Quin etiam facto ipso demonstrabatur consensus in nuptias, maritali nempe honore & affectione per cohabitationem inter pares, quod Papinianus (*b*) testatur. Confarreatae nuptiae sub initium imperii non amplius in usu erant (*c*); sed diutius coëmtio & usus perseverarunt: etsi aetate jurisconsultorum, quorum fragmenta in pandectis supersunt, parum usurpari solerent: & fere aliis legitimis modis consensus in nuptias edebatur. Immo Justinianus eo rem deduxit, ut exceptis *maximis dignitatibus*, ceteri omnes possent vel cum dotalibus tabulis, vel sine eis ex solo affectu ducere uxores (*d*): in qua consti-

(a) *L. IV. D. de pignorib.*, *L. VI. D. de his qui sunt sui vel alien. jur.* (b) *L. XXXI. D. de donationib. Confer. Gerard. Noodt. in tit. DD. de ritu nuptiar.* (c) *Confer. Heinec. antiq. Roman. lib. I. tit.* 10. §. 9. (d) *Novell. XXII. cap.* 3.

ſtitutione civilem prudentiam viri docti deſiderant:

Novellæ juſtinianeæ nævum cognovit rex noſter Rogerius primus hujus nominis, qui ut incommoda ex illa lege emanantia ſubmoveret provide edixit conſt. ſancimus *lib.* 3. *conſt. Regni Sic. Tit.* 22 *de Matrimoniis contrahendis, matrimonia poſt contracta ſponſalia fieri debere debita ſollemnitate, & ſacerdotali benedictione interveniente; pæna eſcluſionis à ſucceſſione reſpectu filiorum, & privationis dotis reſpectu mulierum indicta.*

Matrimonia contrahenda eccleſiae denuntiata.

§. XV. Nec minus eccleſia ritus ſuos praeſcripſit, quibus ex religionis ſuae principiis chriſtiani nuptias contraherent. Erant autem ſollemnia chriſtianorum vel civilia vel religioſa: etenim quum chriſtiani eſſent cives, certe omnes ritus civiles, qui incolumi religione retineri poterant, ſervabant. Inter chriſtianos ritus in primis id fuit, nuptias contrahendas eccleſiae denuntiare, ut ſi qua ſubeſſent impedimenta innoteſcerent, & matrimonia chriſtiano homini indigna evitarentur. Publica iſta denuntiatio *bannum* dicta eſt; quae vox Gallorum propria ut plurimum publica edicta ſignificat; quod Cujacius & Cangius obſervant (*a*). Inde uſque a primis ſaeculis chriſtiani *apud eccleſiam profiteri* nuptias conſueverunt, quod Tertullianus (*b*) teſtatur. Et in capitulari-

(a) *Cujac. in cap. XXVII. ex. de ſponſalibus*, *Cangius in gloſſar. med. & infimae Latinitat. v.* bannum. (b) *Tertull. de pudicitia cap. IV.*

ribus regum Francorum edicitur, ut ante nuptias conveniatur sacerdos, qui in ecclesia una cum populo inquirat, an aliquod impedimentum subsit (*a*). Inde in tanta saeculi IX. & sequentium confusione matrimonii denuntiationes omissae sunt, easque paucae tantum ecclesiae vel retinuerunt, vel de novo instituerunt, in primis ecclesia Gallicana, unde ad ceteras ecclesias dimanasse Cujacius & Filesacus (*b*) docent. Et sane concilium Lateranense sub Innocentio III. consuetudinem specialem quorumdam locorum ad alia generaliter extendit, cavitque. ut matrimonia contrahenda per presbyteros in ecclesia denuntientur competenti spatio dicto, ut intra illud, qui voluerit & potuerit, compareat, & legitimum impedimentum opponat (*c*) sed denuntiatio ista ad matrimonii vim non pertinebat, valida enim quamvis illicita jure decretalium erant clam contracta matrimonia.

Hierologia in nuptiis christianorum olim recepta.

XVI. Praecipuus autem & maxime sacer christianorum ritus fuit, ut nuptiae coram ecclesia precibus sacerdotum benediceretur: qui ritus vel a primis saeculis obtinuit: quod Jac. Gothofredus, Binghamus & Henricus Cristianus Bochmannus (*d*) pluribus probant. Et sane Tertullianus

(a) *Capit. reg. Francor. lib. VIII. cap.* 179.
(b) *Cujac. loc. cit.*, *Filesac. de orig. parochiar. cap. ult.* (c) *Cap. III. ex. de clandest. desponsat.*
(d) *Jac. Gothofr. in L. III. C. Th. de nuptiis*, *Bingh. orig. ecclesiast. lib. XXII. cap.* 4. §. 1., *Hochmann. tract. de benedict. nuptiar.*

nus (*a*) expresse testatur, christianorum matrimonia *ecclesiam conciliare, confirmare oblationem & obsignare benedictionem*. Similiter Ambrosius (*b*), *conjugium velamine sacerdotali & benedictione sanctificari oportere* adfirmat. Et patres concilii IV. Carthaginiensis edicunt, *ut sponsus & sponsa quum benedicendi sint a sacerdote, a parentibus suis vel paranymphis offerantur* (*c*). Chrysostomus quoque docet, ad nuptias sacerdotes vocari, *& precibus & benedictionibus concordiam conjugii constringi* (*d*) Haec & alia multa praxim christianorum benedicendi nuptias demonstrant: & profecto Boëhmerus (*e*) vim antiquis monumentis infert, dum ea, quae de benedictione nuptiarum habent, ad sponsalium benedictionem trahere aut alias elevare studet. Benedictio autem nuptiarum a sacerdote de more ceterarum benedictionem per manus impositionem facta videtur: idque constat ex Clemente Alexandrino, qui de muliere nubente alienis capillis ornata ita fatur: *cui manum imponit presbyter? Cui autem benedicet? non mulieri, quae est ornata, sed alienis capillis, & per istos alii capiti* (*f*). Usurpabatur etiam inter Judaeos sollemnis nuptiarum benedictio: unde fortasse in christianos derivata est & majori religione consecrata; etenim per benedictionem nuptiis christianorum sanctitas & vis sa-

(a) *Tertull. ad uxor. lib. II. cap.* 9. (b) *Ambros. ep. LXX.* (c) *Conc. Carthag. IV. can.* 13. (d) *Chrysost. hom XLVIII. in Genes.* (e) *Boëhmer. jur. eccles. lib. IV. tit.* 3. (f) *Clemens Alexandr. paedag. lib. III. cap.* 11.

ſacramenti conciliatur. Fiebat autem nuptiarum benedictio ſollemniter & coram eccleſia & inter miſſarum ſollemnia, idque Tertullianus indicat, dum ait, matrimonium oblatione confirmari.

Quando jure civili hierologia nuptiis acceſſit.

§. XVII. Sollemnis & publica nuptiarum benedictio apud antiquos chriſtianos recepta, diu ſola religione ſtetit; nec jure civili chriſtianorum principum ad vim contractus matrimonii pertinuit. Probabant profecto chriſtiani imperatores, per hierologiam nuptias fidelium celebrari; at interim legitima habebant matrimonia ex forma legum civilium contracta. Exiſtimant quidem Dionyſius Gothofredus & Franc. Hotomanus (*a*) etiam jure civili adhiberi hierologiam debuiſſe, eo quod Juſtinianus ad vim matrimonii *feſtivitatem & vota nuptiarum* requirat (*b*); at phraſes iſtae admodum ambiguae ſunt, & potius actum quemlibet, quo nuptiae celebrari conſueverant, denotare videntur (*c*). Hinc praeſertim ſaeculis quinto & ſexto non videntur defuiſſe chriſtiani parum religioſi, qui, maxime ubi non ex ſententia eccleſiae nuptias contrahebant, benedictionem omitterent, contenti legitimas, etſi non ſacras, nuptias contraxiſſe: cui omiſſioni faviſſe videtur Juſtinianus, qui exceptis *maximis dignitatibus*, permiſit, ut reliqui omnes ex ſolo affectu ſine dotalibus tabulis nuptias inirent (*d*). Sed tandem antiqua & chri-

(a) *Dionyſ. Gothofr. in l. XX. C. de nupt.*, *Hotoman. quaeſt. illuſtr. quaeſt. XXV.* (b) *L. XXIV. C. de nup.* (c) *Selden. ux. hebr. lib. II. cap. 29.*
(d) *Novel. XXII. cup. 3.*

ſtiana nuptiarum benedictio in legem civilem abiit: & ita nec legitima eſſe coeperunt matrimonia, niſi coram eccleſia ſacerdotum precibus conſecrarentur: quod jus in Occidente Carolus M., in Oriente Leo ſapiens ſtatuerunt (*e*). Hoc jure per Occidentem ſtatuto prodiiſſe videtur decretalis Evariſto tributa, quae ad vim matrimonii praeter alia requirit, ut ſponſa *ſacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus & oblationibus a ſacerdote benedicatur* (*a*). Et apud nos Rogerius I. rex proſcriptis nuptiis clandeſtinis ea tantum matrimonia legitima dixit, quae palam & ſacerdotali benedictione celebrantur (*b*).

Ritus civiles in matrimoniis chriſtianorum retenti.

§. XVIII. Praeter ſacerdotalem nuptiarum benedictionem ritus civiles chriſtiani retinuerunt, eoſque ſanctitatis religione conſecrarunt, ut factum eſt in aliis ritibus, quos vel a Judaeis vel ab ethnicis hauſerunt. In primis (I) in nuptiarum celebratione uterque conjux velo obnubebantur. Sollemnis erat Judaeorum & Romanorum mos velo obnubendi ſponſam, quando ad virum ducebatur: ex qua caerimonia nomen nuptiarum factum eſt: nubere enim & obnubere Romanis velare & operire ſignificabat (*c*): at apud chriſtianos uterque conjux a ſacerdote velo operiebatur (*d*). Velamen iſtud purpureum

---

(e) *Cap. reg. Franc. lib. VII. cap.* 363., *Leo Sapiens novel. LXXXIX.* (a) *Can. I. C.* 30. *q.* 5.
(b) *Conſt.* ſancimus *de matrim.contrah.* (c) *Confer. Roſin. antiquitat. Roman. lib. V. cap.* 37.
(d) *Paulinus in epithal.*, *Can. III. C.* 30. *q.* 5.

videtur fuisse, illud enim Ambrosius (*a*) *flammeum nuptiale* appellat: eoque significabatur, pudorem utrique conjugi, non soli mulieri, convenire. Porro (II) sacro ritu nuptiarum finito, conjuges mox discessuri coronis & sertis redimiri solebant, quibus significabatur strenue adhuc contra omnem impudicitiam decertasse: quod Chrysostomus docet (*b*). Erat haec etiam civilis caerimonia, quam aetate Tertulliani non videntur christiani usurpasse: reddens enim rationem Septimius (*c*), cur christiani cum ethnicis matrimonio non jungerentur, eam arcessit a coronis, quibus conjuges apud ethnicos cingebantur, & ita ab idololatria incipiebant. At inde in utraque ecclesia coronarum usus tamquam innocens & mystica caerimonia receptus est (*d*). Et demum (III) sequebatur deductio sponsae in viri domum, quae inter innocentia gaudia & popoli confluentis acclamationes peragi solebat: nec injuria credebatur modestum habere epithalamium, vel convivium, quod ex christianis regulis agitaretur (*e*). Velatio autem & coronatio tantum in primis nuptiis locum habebant, iisque secundae nuptiae non donabantur. In Occidente jamdiu conjuges velari & coronari desierunt: tantumque velandi caerimonia in nuptiis spiritualibus virginum cum Chri-

(a) *Ambros. de virginib. cap. XV.* (b) *Chrysost. hom. IX. in* 1. *ad Timoth.* (c) *Tertull. de coron. milit. cap. XIII.* (d) *Confer. Bingh. orig. ecclesiast. lib. XXII. cap.* 4. §. 6. (e) *Conc. Laodicen. can. LIII.*

Christo domino usurpatur. Sed inter Graecos adhuc conjuges solent coronari (*a*).

Qui recepta in Occidente clandestina matrimonia.

§. XIX. Per sacros canones inducta & inde per leges civiles constabilita publica benedictio in ecclesia Graeca, quae antiquorum rituum tenacissima fuit, deinceps continuavit; at in Occidente remissior disciplina invaluit, quae tenebat quidem matrimonia coram ecclesia & sacerdotali benedictione esse celebranda; verum simul valida, etsi illicita, reputabat matrimonia clandestina, quae sine hierologia clam ceteris omnibus ipsi sponsi contraxissent (*b*). Sane jure decretalium sponsalia transibant in matrimonium non solum palam declarato consensu & sacerdotis benedictione; verum etiam per corporum conjunctionem inter sponsos animo maritali habitam (*c*), & per mutuum consensum de praesenti clam editum (*d*). Invaluerunt hi degeneres mores ex mala accepta sententia legum & canonum, per consensum nuptias contrahi: non animadvertentes scilicet saeculi XII theologi, consensum, quem leges & canones requirebant, legitimum, hoc est sollemni ratione per leges inducta, expressum esse oportere, inde concluserunt, etiam consensu clam edito consistere matrimonia (*e*). Interim ubi matri-

re-

(a) *Confer. Cardon histoire de mariage chap. II. art.3.* (b) *Confer.Gratian ad calc. can. IX.C.30.q.5.*
(c) *Cap. XXX. ex. de sponsalib.* (d) *Cap. I. ex. de clandest. desponsat.* (e) *Confer. Franc. Florens in cit. Gratiani quaest.*

monia clandestina legitime non probabantur, ecclesia conjuges ad cohabitationem non cogebat (*a*). Quod si ipsi conjuges clam contractas nuptias inde ecclesiae manifestarent, eae ratae censebantur, tamquam si ab initio in conspectu ecclesiae contractae essent, quod Alexander III. rescripsit (*b*). Magno autem incommodo & reipublicae & ecclesiae erant clandestina matrimonia: filiorum & familiarum statum incertus erat; & mariti suarum uxorum pertaesi, eas impune dimittebant, & novis contractis nuptiis, inter stupra & adulteria transigebant vitam.

Forma celebrandi matrimonii ex concilio Tridentino.

§. XX. Sed tandem ecclesia Occidentalis matrimonia clandestina irrita fecit: quod jus in comitiis Tridentinis conditum est. Itaque decretum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis festis diebus in ecclesia inter missarum sollemnia publice denuntiari inter quos matrimonium sit contrahendum, nisi aliter ordinarius ex justis caussis denuntiationes omittendas censuerit: matrimonium vero ipsum inde contrahi coram parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii venia, & duobus vel tribus testibus, & aliter contractum omnino nullum & irritum esse: demum a proprio parocho benedicendum (*c*). Quo decreto etiam contractui

---

(a) *Cap. II. ex. de clandest. desponsat.* (b) *Cap. II. ex. de clandest. desponsat.* (c) *Trid. sess. XXIV. de ref. matrim. cap. 1.*

ctui civili forma data est, idque & ex disciplina a multis saeculis in Occidente recepta, qua ecclesia etiam de contractu & matrimonii vinculo edicebat, & ex consensu christianorum principum, qui vel per legatos suos vel postmodum huic decreto consenserunt. Nihil autem definierunt patres, utrum benedictio ad matrimonii vim pertineat; at in compertis videri debet, per benedictionem sacramenti rationem nuptiis conciliari, quando constanti patrum traditione constat, per benedictionem nuptias gratia impleri. Celebrari debent hac sollemni formula matrimonia, ubi decretum Tridentinum receptum est: nam ubi reformatio Tridentina recepta non est, adhuc matrimonia clandestina tolerantur, nisi per publicas leges sollemnitas publica matrimonii statuta sit: quod factum in Gallia, ubi etsi reformatio Tridentina recepta non est; tamen edicto Blesensi in generalibus regni comitiis a rege edito sollemnitas celebrandi matrimonii parum a Tridentina differens statuta est; ad jus enim regium credebant Galliae reges spectare formam contractui matrimonii dicere.

☞ *Apud nos recepta quidem est reformatio Tridentina quoad matrimonia celebranda, ut scilicet sine Parochi, & duorum testium presentia matrimonium contractum nullum, ac irritum omnino sit. At cum solius trinæ denunciationis defectus, si coram Parocho consensus prestetur, illicitum, non irritum faceret matrimonium, ac non deessent, qui animo parum religioso spreta illa trina denunciatione, Ecclesiarum pastores repente aggrederentur, aliud clandestinorum matrimoniorum genus exor-*

tum

tum est; quod publicis legibus vindicari publica salus suasit. Hinc Ferdinandus III. feliciter regnans pragmaticali statuto an. 1767. sancivit, primo ut stante validitate matrimonii sponsus clandestine nubens damnetur ad triremes per quinquennium si ignobilis, vel in castro si nobilis, sponsa itidem in castro detineatur per idem tempus si ignobilis, in reclusorio autem extra patriam si nobilis: secundo ut tale facinus perpetrantes a legitimis successionibus arcerentur, & exheredari legitime possint: tertio ut testes voluntarii eadem pœna carceris, qua contrahentes plectantur: & quarto quod fiscus possit pro hujusmodi pœnarum executione principaliter agere.

Qualitates parochi & testium.

§. XXI. Parochus autem, coram quo ex Tridentini decreti forma matrimonium christianorum oportet celebrari, est ille, in cujus paroecia contrahentes vere commorantur, etsi ei loci perpetuo habitare non intendant: quo sensu qui student in academiis, eum parochum in caussa matrimonii proprium habent, in cujus paroecia tempore studiorum morantur. Et si contrahentes sint duarum paroeciarum, non duo parochi matrimonio assistent, sed unus sive viri sive mulieris (a): propriusque parochus recte etiam in aliena parochia matrimonio assistet. Sed in multis ecclesiis consuetudo habet, ut potius coram parocho mulieris, quam viri matrimonia celebrentur. Milites autem ibi habita-

(a) *Sacra congreg. ap. Fagnan. ad cap.* quod nobis *ex. de clandest. desponsat.*

tare in caussa matrimonii intelliguntur, ubi stationis aut praesidii caussa commorantur; ac ita coram ejus loci parocho matrimonia celebrabunt, nisi privilegio datum sit, ut capellani castrenses censeantur proprii militum parochi (*a*). Apud nos autem milites, qui in regio palatio & viridario, aut *Darsena*, aut in castris clausis & omnibus locis capellano majori subjectis commorantur, tantum coram parocho regio justas nuptias contrahunt: ceteri vero coram loci parocho cum capellani militaris interventu (*b*). Quod vero spectat ad vagantes, Tridentini patres recte monent, ne illorum matrimonia facile recipiantur nec parochi locorum possunt eorum matrimoniis interesse, nisi prius diligenti facta inquisitione & venia ab ordinario habita (*c*). Testes autem ad matrimonii vim necessarii, cujuscumque generis & qualitatis sint, sufficiunt, modo rationis compotes sint, & quod agitur, possint intelligere: non enim de eorum qualitate patres quidquam edixerunt. Et quoniam ad vim matrimonii tantum parochi & testium praesentiam, non vero aliquod ministerium patres requirunt; hinc valet matrimonium, saltem ut contractus, coram parocho & testibus invitis etiam sine hierologia initum, modo parochus adhibitus

(a) *Confer. Espen. par. II. tit.* 12. *cap.* 5. *n.* 15. *seq.* (b) *Bulla Benedicti XIV.* convenit *super jurisd. & facultatibus capellani majoris regni Neapolit.* (c) *Trident. sess. XXIV. de ref. matrim. cap.* 7.

tus fuerit, & de matrimonio contrahendo certior factus sit (*a*).

Quibus diebus matrimonium non celebratur.

§. XXII. Jam vero non in omnibus diebus nuptiarum sollemnia licet celebrare. Romanis multi dies inauspicati & infausti nuptiis credebantur, quales calendae, nonae, idus & novarum calendarum posteri omnes dies, integer Majus mensis & dies Februarii, quibus parentalia fiebant (*b*). Etiam apud christianos multis diebus nuptiae celebrari vetitae sunt, quod nuptiarum sollemnitas cum officiis religionis non bene conveniat; qui dies hodie *tempus clausum* solent appellari. Vetantur in primis nuptiae integra quadragesima, idque in concilio Laodiceno cautum est (*c*): poenitentiae enim tempus aptum non erat nuptiarum pompis & deliciis. Et in concilio Aquisgranensi anno IϽCCCXXXVI. habito nuptiarum celebratio diebus dominicis interdicta est *pro reverentia tantae sollemnitatis* (*d*). Et in canone quodam sub nomine concilii Ilerdensis apud Gratianum prohibentur nuptiae a septuagesima usque in octavas paschae, tribus hebdomadis ante festum S. Joannis Baptistae & ab adventu domini usque ad epiphaniam (*e*): sed canon iste est suppositius (*f*), eoque expressa

G 2 di-

(a) *Confer. N. Alexander theol. dogm. & moral. lib. II. de matrim. cap. 2. art. 2. reg. 19.* (b) *Confer. Brissonius de ritu nuptiar.* (c) *Conc. Laodic. can. LIII.* (d) *Conc. Aquisgr. can. XXXVIII.*

(e) *Can. X. C. 33. q. 4.* (f) *Bingh. orig. eccles. lib. XXII. cap. 2. §. 14.*

disciplina fortasse saeculo XI. invaluit. Ideo vero tribus hebdomadis ante festum S. Joannis Baptistae etiam nuptiarum celebratio interdicta est, quod ante hoc festum species quaedam quadragesimae varia pro varietate ecclesiarnm celebrari consueverat, de qua Filesacius tractat (*a*). Tandem Tridentini patres tempus clausum contraxerunt; statuerunt enim ut ab adventu domini usque in diem epiphaniae, & a feria quarta cinerum usque ad octavam paschatis inclusive sollemnia nuptiarum non celebrentur (*b*).

Praeparatio ad sacramentum matrimonii.

§. XXIII. Pertinet autem ad christiani hominis officium, ut paratus & ex regulis sanctae religionis nuptias contrahat. Christiani animum ad nuptias debent adiicere *non victi libidine, sed ducti pietate*; ut nempe individuam vitae sociam habeant, cum qua inter domus sollicitudines possint Deo servire, filios procreare, procreatos recte instituere, & Christo lucrari. Intentionis puritate imitentur veteris testamenti justos, *qui non propter hoc saeculum, sed propter Christum conjuges, & propter Christum patres fuerunt*, ut Augustinus (*c*) loquitur: Non enim felicitas est habere filios, sed habere bonos. Licet quidem christiano homini in contrahendis nuptiis nobilitatis, divitiarum, pulchritudinis rationem habere; sed nefas profecto est, ex iis solis nuptias inire. Itaque qui matrimonium contrahere

(a) *Filesacus de quadrag. christiana.* (b) *Trid. sess. XXIV. de ref. matrim. cap.* 10. (c) *August. de bono conjugali cap. ult.*

here intendit, ante omnia Dei voluntatem precibus exquirat, serioque expendat ejus, cum qua contrahere intendit, qualitates, ut se & in civitate & in domino pari jungere possit. Contractis vero sponsalibus uterque sponsus poenitentia, orationibus, confessione sacramentali & eucharistiae sacramento se disponat ad nuptias earumque benedictionem (*a*): Deus enim tantum eos conjuges gratia & donis suis implet, qui sancto consilio & puro corde copulantur. Et demum religiosum & pium est, ut pro benedictionis & sacramenti reverentia tantisper conjuges corporum conjunctione non utantur; quod in veteri disciplina patres Carthaginienses statuerunt (*b*). Mediis autem saeculis ejus abstinentiae ratione turpis quaestus invaluit; nam in quibusdam ecclesiis presbyteri obtentu servandae disciplinae pecunias exigebant, ut maturius usum conjungii indulgerent, quod Chardonius observat (*c*).

Effectus matrimonii.

§. XXIV. Plures autem justarum nuptiarum effectus sunt, qui vel ex ipsa conjugii natura, vel ex civili jure, vel sacramenti religione dimanant. In primis per matrimonium conjuges fiunt duo in carne una, & alter in alterius corpus jus adquirit: debentque propterea sibi invicem mutuam quodammodo servitutem ad liberos procreandos & incontinentiae remedium, ut

(a) *Trid. sess. XXIV. de ref. matrim. cap.* 1.
(b) *Can. V. C.* 30. *q.* 5. (c) *Chardon. histoire de mariage chap. II. art.* 3.

ut etsi alteri perpetua continentia placeat, nisi ex alterius consensu id praestare non possit (*a*). Liberi quoque nascuntur legitimi & in patris potestate, si vel maxime matrimonium nullum est, bona tamen fide & publice initum (*b*), errore etiam juris interveniente (*c*). Porro per matrimonii sacramentum conjugibus gratia confertur, qua mutuus eorum amor adjuvatur, fides matrimonii sustinetur & familiae onera evadunt leviora. Sane patres passim docent per sacerdotalem benedictionem nuptias sanctificari (*d*). Et in specie Chrisostomus adfirmat, sacerdotum precibus & benedictionibus concordiam conjugii constringi, amorem sponsi augeri & puellae continentiam crescere, & ab ea familia omnes diaboli insidias fugari (*e*). Hinc merito se imparem putabat Tertullianus ad enarrandam ejus conjugii felicitatem, *quod ecclesia conciliat & confirmat oblatio, & obsignat benedictio, angeli renuntiant, pater ratum habet* (*f*).

Coelibatus apud christianos status perfectior matrimonio.

§. XXV. Jam vero nuptiae quidem bonae sunt, utpote quae Deum habent auctorem, & humani generis propagationem spectant; at in christiana religione iis virginitas & impollutus coelibatus, tanquam majus bonum, praeferuntur

(a) *August. de bono conjug. cap. VI.* (b) *Cap. II. & XI. ex. qui filii sint legitimi.* (c) *L. LVII. §. 1. D. de ritu nuptiar.* (d) *Ambros. ep. LXX.* (e) *Chrysost. hom. XLVIII. in Genes.* (f) *Tertull. ad uxor. lib. II. cap. 9.*

tur. Et erravit profecto Jovinianus, qui nuptias ita laudabat, ut eas virginitati aut continentiae vel anteponeret vel aequaret: quem errorem Lutherani & Calviniani innovarunt. Sane apostolus edixit, bene quidem eum facere, qui virginem suam matrimonio jungit, melius vero qui non jungit (*a*). Et deinde christiana religio tendit ad spem futurorum; & quo magis a terrenis homines soluti sunt, eo melius caelestibus vacabunt (*b*). His accedit consensus veterum patrum, in primis Tertulliani, Cypriani & Fulgentii, qui coelibes fere ipsis angelis veluti exaequant (*c*). Nec dicant homines profani, virginitatem repugnare ipsi hominum naturae, impetu & organis ad generationem donatae: nam concupiscentia carnis potius ex peccato, quam ex natura est (*d*): nec qui organis ad generationem donantur, omnes jure naturae tenentur ea organa in usum deducere, nisi commoda occasio ad nuptias se offerat, & qui spiritualium amore tenentur, nullam sibi commodam occasionem ad nuptias arbitrantur. Illud interim verissimum est, coelibatum non nisi excellentibus animis convenire (*e*), nec ad tantum virtutis apicem sine gratiae dono homines posse contendere. Quo autem

---

(a) 1. *ad Cor. VII.* 38. (b) 1. *ad Cor. VII.*32. *seqq.* (c) *Tertull. ad uxorem lib. I., Cyprian. lib. de habitu virginum, Fulgent. epist. III. ad Probam cap.* 10. (d) *Confer. Druven. de re sacram. lib. IX. q.*2. *cap.* 2. (e) *Gregorius papa III. can.XVIII. C.* 32. *quaest.* 7.

tem omnibus liberum esset bonis meliora praeferre, christiani principes poenas coelibatus abrogarunt (*a*): qua in re non videntur male reipublicae consuluisse: etenim ubi aliae rationes & physicae & morales in republica promovent civium multitudinem, impollutus non multorum coelibatus tantum abest, ut civium numerosae proli obsit, ut potius toti civitati ad aliorum institutionem utilis esse possit.

Qualis sit obligatio ad contrahendum matrimonium.

§. XXVI. Satis aucto humano genere non omnes ad generationem habiles jure naturae ad nuptias ineundas obligantur, modo qui duxerint abstinere, impollute abstineant: quod pluribus probat Pufendorffius (*b*): non desunt enim, qui ferundo familiae & educationis filiorum oneri impares sunt, alii vero, qui coelibes utiliores ceteris hominibus esse possunt. Interim apud gentes in primis eas, quae ad belli gloriam vel opes quam maximas comparandas adspirabant, nuptiae praemiis & honoribus promotae & inculcatae, & coelibatus poenis & ignominiae obnoxius: spectabat enim ad civitatum finem civium augere multitudinem: quod Persarum, Graecorum, Romanorum aliarumque gentium institutis Hieneccius (*c*) probat. Immo Judaei ex principiis religionis suae liberorum multitudini

---

(a) *L. I. C. de infirmand. poen. coelib.* (b) *Pufendorf. de jur. nat. & gent. lib. VI. cap.* I. §. 7.
(c) *Heinec. ad L. Juliam & Papiam lib. I. cap.* 2.

favebant, eorumque numerum reputabant benedictionem. Praesertim hoc nomine inclaruerunt Romani, qui indi usque ab urbis exordio curarunt, ut civitas civium numero efflueret: quo spectavit lex Julia Papia Poppaea *de maritandis ordinibus*, quae praemiis nuptias & liberorum numerum promovit, poenis obstrinxit coelibatum & orbitatem, tantumque cives ad nuptias ineundas non coëgit. Ubi vigebant hujus generis civilia instituta, tenebantur cives ad nuptias contrahendas, nisi praemiis nuptiarum carere & poenas coelibatus subire vellent: nec enim coactio ad matrimonium directa erat, quae nuptiarum indoli videtur adversari. Verum apud christianos obligatio ad nuptias contrahendas singulos non adstringit: quin potius qui dono coelibatus donantur, melius faciunt, si procul a nuptiis Deo animum & corpus suum consecrent. Et merito pro religione sua Constantinus M. poenas coelibatus sustulit; nec permisit, ut meliore conditione essent nuptiis adligati quam qui propter Deum coelibem vitam elegissent (*a*); quo jure deinceps christiani semper usi sunt.

Quid matrimonium conscientiae, & quatenus concedendum.

§. XXVII. Quaeres fortasse, utrum *matrimonia conscientiae*, ut appellantur, legitima sint, & permitti debeant? Matrimonii conscientiae nomine venit apud catholicos conjugium, quod

(a) *L. I. C. de infirm. poen. coelib.*, *Sozom. lib. I. cap.* 9.

ex indulgentia omissis denuntiationibus coram parocho & duobus fidis testibus clam omnibus aliis contrahitur ea mente, ut aliis non manifestetur: fortasse quod alterius conjugis dignitatis interest occultum esse. Hoc matrimonium utpote ex forma ecclesiastica initum clandestini vitio non censetur laborare: at multis incommodis obruitur. Uxoris & liberorum status non adeo certus est, praesertim si parochus & testes mortui sint; filii non recte institui & educari possunt; in canonum fraudem conjugati beneficium ecclesiasticum, quo incapaces sunt, saepe retinebunt; & filiifamilias invitis parentibus indignas nuptias contrahent. Quare Benedictus XIV. edita decretali tantum ex legitima & gravi caussa & personarum qualitate inspecta conscientiae matrimonium ab episcopo permitti voluit, eique ad incommoda evitanda certam formam dedit (*a*). Nempe minister ab episcopo deputari debet alterius contrahentium parochus, qui pro prudentia sua par tanto muneri videatur, & ex gravi caussa alius sacerdos doctrina & sanctitate insignis: qui antequam matrimonium contrahatur, desponsos admoneat, quae sint eorum erga filios nascituros officia. Porro duo libri conficiendi sunt, qui bene clausi & obsignati in curia episcopali asserventur, in quorum uno describantur ejusmodi matrimonia, altero filiorum baptismata: uterque liber non est aperiendus, nisi alia id genus matrimonia & baptismata descri-

(a) *Benedict. XIV. bul.* satis vobis *XXXV. tom. I. bullar.*

ſcribenda ſint, aut ſi juſtitiae adminiſtrandae neceſſitas urgeat, ut ſi ii, quorum intereſt, documenta petant, nec aliae ſuppetant probationes. Nati quoque filii a patre, aut, eo mortuo, a matre ſpatio triginta dierum a nativitate epiſcopo denuntiandi ſunt, alias ſilentii fides rumpitur, & matrimonium publicatur, ne arcani fides ſervata aliis damno ſit. Haec eſt ſumma decretalis, quae regia auctoritate apud nos publicata eſt, modo his matrimoniis, quod ſpectat ad effectus civiles, regiae poteſtatis jura non laedantur.

CAPUT XXVIII.

De iis, qui nuptias contrahere vetantur.

Quid impedimentum dirimens, *quid* impediens.

§. I. NOn omnes inter ſe inire poſſunt nuptias; matrimonium enim a natura ad hominum propagationem inſtitutum certis regulis regitur, quae inter quaſdam perſonas illud omnino nullum faciunt, & reipſa contractum, tamquam initio nullum, dirimunt; aut tantum impediunt, quo minus contrahatur, ſed contractum non ſolvunt. Hinc matrimonii impedimenta duplicis generis exorta, *dirimentia* nempe & *impedientia*, ut appellantur. Impedimenti dirimentis nomine paſſim intelligunt quidquid matrimonium jure nullum reddit: quo ſenſu errorem circa perſonam alterius contrahentis, metum gravem & proprii parochi ac teſtium abſentiam inter impedimenta dirimentia recenſent. Nos vero

ſtrictius impedimentum dirimens accipimus, id nempe quo homines inabiles ad nuptias redduntur, easque, etsi velint, contrahere nequeunt, quales profecto non ſunt, qui errant, & qui metu contrahunt, & qui clam parocho ac teſtibus nuptias attentant: hi enim ad matrimonium contrahendum inhabiles non ſunt: & ſi nullum eſt eorum matrimonium, id fit, quia errantes & metu coacti illud contrahere nolunt clam vero contrahentes legitimam formam non ſervant. Similiter impedimenta nobis ſunt, quae ratione qualitatis perſonae adhaerentis nuptias illicitas tantum faciunt, ſed contractas non ſolvunt. Satis ampla eſt haec tractatio, eamque, qua late patet, pertractare inſtituti noſtri ratio non permittit: quare tantum ea, quae praeſentis uſus ſunt, proponemus, ita tamen ut ſingula a ſuis initiis & rationibus deriventur.

Jus principum conſtituendi impedimenta dirimentia.

§. II. Proveniunt autem omnia matrimonii impedimenta aut jure naturae, aut jure divino, quod dicunt *poſitivum*, aut legibus principum, aut ſacris canonibus. Eſt enim matrimonium non tantum naturae inſtitutum, verum etiam contractus civilis & chriſtianum ſacramentum. Et quod ſpectat ad leges civiles, in compertis eſt, ſummis imperantibus jus eſſe, quo homines ad nuptias inhabiles prorſus reddant. Civilis poteſtas eo ſpectat, ut civitas tranquilla & beata conſiſtat. Hinc civilis poteſtas pro poteſtate ſua dirigit contractus omnes, ut ad civitatis bonum tendant, & praeſertim matrimonia

nia, quae civitatis fundamentum sunt. Certe summi imperantes inter ethnicos omni tempore nuptiarum curam habuerunt, & multis legibus edixerunt, quatenus cives eas contrahere oporteret. Eodem prorsus jure donantur christiani principes; inest enim summo imperio potestas in omnes contractus: nec religio sacramenti nuptiis addita humanum contractum immutavit; quin potius ut idoneam materiam supponit. Qua in re theologi ferme omnes in primis B. Thomas, Ambrosius, Catharinus, Petrus Soto, Thomas Sanchez, Genetus aliique conveniunt: qui omnes docent, inesse civili imperio potestatem ad dirigendum contractum matrimonii, & impedimenta quae illud dirimant, statuenda (*a*). Et re ipsa christiani imperatores & deinceps reliqui reges legibus suis varia nuptiarum impedimenta dirimentia constituerunt; gradus cognationis & adfinitatis, in quibus matrimonium contrahi non posset, finierunt; rescriptis suis interdicta matrimonia contrahi permiserunt (*b*), & totius contractus curam ad se pertinere professi sunt. Hinc & communi theologorum sententiae & universae antiquitati adversatur Basilius Pontius (*c*), qui docet, Christum, quando matrimonium ad sacramenti dignitatem evexit, jus omne principibus ademisse.

An

(a) *Confer. Launojus de regia in matrim. potest. par. I. art.* 1. (b) *L. un. C. si nuptiae ex rescripto petantur*. (c) *Pontius lib. VI. de matrimon. cap.* 2.

An ejus juris usum principes retineant?

§. III. Ceterum in eo inter nostros theologos non convenit, utrum christiani principes retineant adhuc usum potestatis, qua impedimenta matrimonium dirimentia statuant. Post Petrum Soto (*a*) contendit Gerbesius (*b*) doctor Sorbonicus, ex pietate & religione, atque adeo principum cessione solam ecclesiam statuere impedimenta, quibus matrimonia dirimantur. Contra alii in primis Petrus Ledesma, Eligius Bassaeus, Guillelmus Estius, Thomas Sanchez (*c*) aliique adfirmant, ecclesiam auctoritate sua id jus, abrogata principum potestate, sibi vindicasse & reservasse. Et demum post multos alios theologos Jo. Launojus docet (*d*), nec principes unquam abjecisse potestatem & usum instituendorum impedimentorum, quibus matrimonia dirimantur, nec jure illo umquam ab ecclesia fuisse privatos. Quod ad me attinet, lubens adgnosco, christianos principes numquam expresso aliquo edicto usum regiae potestatis in matrimonium abjecisse (usum inquam, nam ipsa potestas indivulsa cohaeret summo imperio); nec per ecclesiam aliquo decreto usu suae potestatis fuisse privatos: nulla enim exstant talis cessionis aut

(a) *Petrus Soto lect. IV. de matrimonio.* (b) *Gerbes. in tract. de potest. eccles. & princip. super imped. matrim. Gallice edito.* (c) *Ledesma theol. moral: cap. XI., Bassaeus in floribus theol. moral., Estius in lib. IV. sentent. dist. 34. §. 1., Th. Sanchez lib. VII. de matrim. disp. 3.* (d) *Launojus de regia in matrim. potest. part. I. art. 2.*

aut reservationis monumenta: quae enim adferuntur pro abrogata principibus potestate in matrimonium, id non afferunt, quod Launojus pluribus probat (a). Et deinde quî poterat ecclesia usu regiae potestatis in matrimonii contractum principes spoliare, quando potestas ecclesiastica tota spiritualis est? Porro S. Thomas de civili potestate in matrimonium ita loquitur, quasi ejus usus staret adhuc penes principes; inquit enim in libris contra gentes (b), *matrimonium in quantum ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi legis civilis*. quod idem plures alii aperte profitentur. Et quamvis idem S. Thomas alibi doceat (c) *prohibitionem legis humanae non sufficere ad impedimenta matrimonii, nisi interveniret ecclesiae auctoritas hoc idem prohibentis*; tamen potior esse debet doctrina, quam senior factus & eruditior in summa contra gentes proponit. Interim a multis saeculis rariora coeperunt esse principum edicta, quae de vinculo matrimonii statuant, sive quod ii religioni sibi ducerent ea de re, quae magnum erat in ecclesia sacramentum, leges ferre, sive quod sua interesse viderent, cum episcopis non disceptare. Hinc factum, ut posteriori aetate quibusdam matrimoniis, quae ecclesia rata habet, aliqui principes effectus civiles denegarint: & absurdum videri potest, id in ecclesia esse sacramentum, quod in civitate illegitimum censetur.

Quae

(a) *Launojus loc. cit. cap. 3.& seqq.* (b) *S. Thomas lib. IV. contra gentes cap. 78.* (c) *S. Thomas in IV. dist. 42. art. 2. ad 4.*

☞ *Quae Siciliae Reges circas nuptiarum impedimenta legibus suis constituerunt, & quibus matrimoniis effectus civiles denegarunt in calce hujus capitis adnotantur.* ☜

Ecclesia etiam constituit impedimenta dirimentia.

§. IV. Potestate quoque dirigendi & ordinandi matrimonii, ut ad finem religionis tendat, donatur ecclesia: matrimonii enim contractum ad sacramenti dignitatem Christus evexit: & in sacramenta soli ecclesiae potestas competit. Et re ipsa omni tempore ecclesia regulas edidit, ut fideles in domino & forma religionis nuptias inirent. Verum ex sententia Christiani Lupi (*a*) per plura saecula regulae istae tantum sacramenti religionem, non naturam & vim contractus spectarunt. *posterioribus dumtaxat saeculis*, sunt ejus verba, *ecclesia fuit nacta istam potestatem* (statuendi nempe impedimenta dirimentia): *hinc antiqui patres & canones raro istorum impedimentorum, utpote ad suam potestatem non spectantium, ex professo meminerunt*. Et constat sane ecclesiae patres adire summos imperantes consuevisse, ubi legem matrimonii vinculum spectantem edendam judicabant, ut exemplo esse possunt concilii Milevitani patres, quos inter magnus Augustinus; hi enim edito canone & poenitentia imposita, *ne dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri conjugatur, sed ita maneant, aut sibi concilientur*, addiderunt, ea de re *legem imperialem petendam promulgari* (*b*). Temporis lapsu sacramentum ma-

(a) *Christ. Lupus dissert. de Latinor. episcop. & clericor. continentia cap. X. tom. 4. schol. E.V.* (b) *Cod. eccles. Afric. can. CII.*

matrimonii, quod civili contractui innitebatur, principale judicatum est, & contractum ipsum veluti sibi subjecit: atque ita consuetudine quadam invaluit, ut etiam ecclesia de contractus vinculo ediceret: quod jus saeculo sexto coepit, inde sensim crevit, & saeculo XII per integrum Occidentem receptum erat. Hinc ecclesia civilia matrimonii impedimenta variis modis auxit, temperavit, abrogavit: & hinc caussae de vi matrimonii ad ecclesiam delatae. Qua recepta disciplina Gratianus a canone Milevitano detraxit verba *in qua caussa legem imperialem petendam promulgari* (a): nec enim alias illum aliis canonibus convenire posse putavit. Et demum juri a multis saeculis recepto convenienter Tridentini patres anathema iis dixerunt, qui negabant, ecclesiam non potuisse impedimenta matrimonium dirimentia constituere (b).

Impuberes inhabiles ad nuptias.

§. V. Jure naturae in primis nuptias non contrahunt impuberes, hoc est, qui tenero adhuc corpore sunt, & impetu ad venerem destituti, sive unus, sive ambo impuberes sint; & reipsa contractae nuptiae nullae sunt. Contrahuntur nuptiae ad genus humanum nova prole locupletandum: atque ideo inepti ad rem uxoriam qui nuptias contrahent? Pro regionum varietate homines citius aut tardius pubescunt. At jure Romano feminae annis duodecim impletis viripotentes sunt, mares vero annis quatuordecim iti-

(a) *Can. V. C. 23. q. 7.* (c) *Trid. sess. XXIV. de sacr. matrim. can. 4.*

dem impletis puberes censentur (a): quam aetatem in maribus primis Justinianus certam dixit: nam ante ea de re inter jurisconsultos non conveniebat (b). Primis saeculis de aetate ad nuptias idonea sollicita ecclesia non videtur fuisse, quod cognitio illa ad curam legum civilium spectaret. Inde pontifices sententiam juris civilis admiserunt (c). nisi malitia suppleat aetatem (d), hoc est, nisi natura praecox vim generandi praevertat. Itaque nullae sunt impuberum nuptiae; nisi quis ab aetate legitima parum absit, & ex habitu corporis pubes appareat, cujus rei judicium ad episcopum spectat (e). Quod si puellae etiam duodecim annis minores apud Romanos domum duci consueverint; id non justas nuptias arguit, sed potius ea ratione factum est, ut rudes & castos mores ad maritum deferrent; nuptiae vero demum legitima aetate censebantur, quod Pomponius docet (f). Et quamvis impuberes post septennium possent praesentibus nuptiis, sed futurae conjunctioni consentire; injustum tamen visum est, valere obligationem, cujus onus non adhuc sentitur. Statim a pubertate justae quidem sunt nuptiae; at in recte constitutis imperiis & familiae & civitati expedit, ut in maturiorem aetatem differantur. Senum effoetorum, vel juvenis cum anu effoeta tolerantur

(a) *Pr. tit. instit. quibus modis tutela finitur.*
(b) *Ulp. fragm. XI. §. 28.* (c) *Cap. II. X. XI. ex. de desponsat. impub.* (d) *Cap. IX. & XIV. ex eod.*
(e) *Bened. XIV. bul.* magnae nobis *LI. tom. 2. bullar.* (f) *L. IV. D. de ritu nuptiar.*

tur potius, quam probantur matrimonia, eaque *honoraria*, quasi nomine tenus matrimonia, dici posse Pufendorffius (*a*) observat.

Impotentes inhabiles ad nuptias.

§. VI. Non contrahunt quoque ex naturae institutis nuptias aetate majores, qui impotentes sunt ad concubitum. Impotentia in aetate majoribus est vel ex vitio naturae & caussa intrinseca, vel ex accidenti. Vitio naturae impotentes sunt mares debilis frigidiorisque naturae, & feminae adeo arctae, ut virum pati nequeant, & tales proprie appellantur *frigidi*. Ex accidenti vero frigent mares, quibus exsecta sunt vasa ad concubitum necessaria, quique ope daemonum & incantantionibus inepti facti sunt ad rem uxoriam, & hi postremi proprie dicuntur *maleficiati*. Scilicet antiqua sententia est, etiam apud ethnicos recepta, posse venereum impetum incantationibus & susurris magicis infringi, quod Chardonius (*b*) probat: etsi alioquin dubitandum non videatur, saepe ex naturalibus caussis & phantasiae vitio jacere in frigido lecto, qui se maleficiatos putant. Frigida matrimonia jure naturae nulla sunt: sive ambo conjuges, sive unus tantum frigeat, modo impotentia sive omnimoda, sive tantum respectu praesentis conjugis perpetua sit & immedicabilis (*c*): idque verum est, etiamsi unius conjugis impotentia alteri cognita sit (*d*); nullum enim esse potest matrimo-

 nium

(a) *Pufendorf. de jur. nat. & gent. lib. VI. cap.* 1. §. 25
(b) *Chardon. histoire de mariage chap. XIV.*
(c) *Cap. IV. & V. ex. de frigid. & malefic.* (d) *Cit. cap. IV.*

nium, ubi concubitus nullus eſt, nec poteſt eſſe. Quapropter ſi reipſa frigidum matrimonium contractum fuerit, dirimetur, modo conjuges non velint tamquam fratres & ſorores cohabitare (*a*): abrogata enim eſt diſciplina ſaeculo XII. in eccleſia Romana recepta, quae frigidos conjuges veluti fratres & ſorores cohabitare cogebat (*b*). Ante ſeparationem vero de perpetua impotentia conſtare debet; idque fit legitimo judicio, in quo etiam partium pudendarum inſpectio in decretalibus probatur (*c*). Et quando impotentia dubia eſt, triennium continuum a die nuptiarum ad explorandas vires datur: quo exacto ſi impotentia perſiſtat, conjugium ſeparatur, & potenti ſeu utriſque, ſi impotentia eſt tantum reſpectu praeſentis conjugis, novum matrimonium contrahere conceditur (*d*). Quod ſi ſeparato per impotentiam naturalem conjugio impotens aptus fiat, conjugium in integrum reſtituitur, etſi alter ad novas nuptias convolaverit (*e*); non vero ſi impotentia ex maleficio erat (*f*). Cujus diſcriminis hanc tradunt rationem, quod ſublato naturali vitio conjux etiam priori conjugi aptus habetur, contra incantatus etſi cum aliis rei uxoriae aptus ſit, non tamen idem praeſtare poſſe creditur cum uxore, cujus cauſſa defixus eſt. Ab impotentibus diſtant ſpadones ſtricte ſic dicti, qui

---

(a) *Cap. V. ex. eod.* (b) *Cap III. de friq. & maleſic. in 1. compil.* (c) *Cap. VI. & ſeq. ex. de frig. & maleſic.* (d) *Cap. V. & VII. ex. eod.* (e) *Cit. cap. V. & cap. VI ex. eod.* (f) *Can. ult. C. 23. q. 1. Confer. Franc. Florens in cit. Grat. loc.*

qui ob temporariam caussam frigent, eorum enim nuptiae, quod vitium temporarium est, legitimae sunt, nec separantur. Quid de castratis & eunuchis, qui testes exsectos, vel attritos habent? Jure Romano illegitimae erant castratorum nuptiae, sed contractae non solvebantur. quod Heineccius observat (*a*). At constitutione Leonis philosophi eorum nuptiae omnino irritae in Oriente factae sunt (*b*): quod Sixtus V. etiam in Occidente decrevit.

Computatio graduum civilis & canonica.

§. VII. Porro jure naturae in certis gradibus matrimonia vetantur inter cognatos & adfines. Cognatio proprie sic dicta est proximitas inter eos, qui per generationem ab uno communi stipite descendunt, sive ex justis nuptiis, sive ex alio licito vel illicito congressu proveniat. Constat autem cognatio lineis, lineae vero gradus habent suos. Linea est series personarum a communi stipite descendentium: eaque vel recta est, quae genitores & genitos exhibet; vel transversa, in qua ex latere conjuncti continentur: qui si aequo gradu distent a stipite communi, transversa aequalis est; si unus altero remotior sit, inaequalis appellatur. Gradus est distantia cognatorum, quae a communi stipite aestimatur. Jure civili una & perpetua regula in omnibus lineis gradus computantur, *semper generata persona gradum adjicit* (*c*), seu tot sunt gradus, quot generatio-

(a) *Heinec. ad L. Jul. & Papiam lib. II. cap. 3. n. 4.*
(b) *Novel. XCVIII.* (c) *§. VII. instit. civil. de gradib. cognator.*

tiones. Sic pater & filius uno gradu distant, quia una generatio est; duo fratres in secundo gradu, patruus & nepos in tertio, quia in fratibus a communi stipite duae, in patruo & nepote tres sunt generationes. In linea recta ex civili regula canones gradus metiuntur, nisi quod loco generationum personas usurpant, & ita tot numerant gradus, quot personas una demta, nempe stipite; sed in transversa ab jure civili canones distant: etenim in transversa aequali collaterales eo gradu sunt inter se, quo a stipite communi: sed in inaequali, eo gradu inter se distant, quo remotior a stipite. Valet autem ecclesiastica computatio tantum in matrimoniis: nam in hereditatibus adhuc ex regula civili gradus aestimantur.

Quî & quando recepta canonica computatio.

§. VIII. Per plura saecula ecclesia, utpote in imperio nata, gradus ex civilium legum sententia numerasse videtur: quae Cujacii, Espenii aliorumque virorum doctissimorum opinio est. Sane Ambrosius (*a*) fratres patrueles quarto gradu, & avunculum & neptem tertio gradu inter se sociari adfirmat: quae ipsissima civilis computatio est. Servat adhuc ecclesia Graeca, antiquorum rituum tenacissima, civilem graduum computationem. At ecclesia Latina a multis saeculis in linea transversa diversam computandi rationem usurpat, qua duae generationes ex latere aequales unum gradum conficiunt. Coepit octavo

(*a*) *Ambros. ep. LX. ad Paternum.*

vo saeculo haec nova computandi methodus (*a*), eique quaedam Gregorii M. verba male intellecta occasionem videntur praebuisse. Gregorius nempe *secundam*, *tertiam & quartam generationem* memorat, & in secunda generatione patrueles seu consobrinos collocat (*b*). Atque ita conclusum, patrueles aut consobrinos esse in secundo gradu, quae ecclesiastica computatio est. Sed Gregorius erat legum civilium observantissimus, nec ab earum sententia sine necessitate videtur recessisse. Potius videtur in gradibus computandis truncum in fratribus collocasse, quod mediis saaculis multi, in primis Isidorus Hispalensis (*c*), faciebant. Et ita verbis tantum non sententia distabat pontifex ab jure civili: nam patrueles, qui sunt secundo gradu in fratribus stipite posito, certe sunt in quarto, si ab avo computatio incipiatur. Longo post tempore qui stipitem in avo ponebant, fortasse putarunt eadem methodo Gregorium usum, & ita civilem computationem reliquisse, & gradus computasse, quasi duae ex latere generationes unum gradum conficerent. Hinc inducta canonica graduum computandi ratio, quae sensim crevit: tandem vero generatim apud Latinos in matrimoniis saeculo XI. recepta est, postquam Petrus Damianus eam contra Ravennates jurisconsultos asseruit (*d*), eamque syuodus Roma-

---

(*a*) *Conc. Wermeriense an. IↃCCXLII. can. I.*, *conc. Compendiense circa ann. IↃCCLVI. can. I.*

(*b*) *Gregr. M. ad August. Anglor. episcopum cap. VI.* (c) *Can. I. C.* 35. *q.* 5. (d) *Petrus Damian. de parentelae gradibus.*

mana sub Alexandro II. confirmavit (*a*).

Jure naturae & civili quae nuptiae incestae inter cognatos.

§. IX. Jam vero in linea recta seu inter generantes & genitos nuptiae omino incestae & nefariae sunt, quod jus ex lege naturae derivatur: naturalis enim pudor & jura inter cognatos per naturam statuta, quae pugnant cum officiis inter conjuges, tales nuptias contrahere vetant. Et procul dubio per degeneram & ferinam educationem exuisse humanitatem videntur gentes illae, quibus fas *erat implere parentem*, ut Lucani verbis utar (*b*), seu quibus licita erant inter parentes & filios matrimonia (*c*). Romani autem, ut erant honestatis observantissimi, eas nuptias semper veluti jure gentium incestas damnarunt (*d*). In linea transversa etiam naturalis pudor, sed non tantus, videtur vetare nuptias inter fratres & sorores; etsi apud plerasque gentes fratres sororibus suis conjungerentur & quidem etiam ex principiis religionis. Jure Romano semper inter fratres & sorores nuptiae vetitae sunt: & in linea transversa inaequali nuptiae vetabantur inter patruum, aut avunculum & neptem hujusque filiam, & inter amitam aut materteram & nepotem hujusque filium (*e*): qui omnes erant loco parentum & liberorum. Nuptiae vero inter patrue-

(a) *Can. II. C.* 35. *q.* 5. (b) *Lucan. lib. VIII. v.* 409. (c) *Confer. Grotius de I. B ac P. lib. II. cap.* 5. §. 12. *n* 2. *seqq.* (d) *L. ult. D. de ritu nupt. Confer. Gerard. Noodt in cit. tit. DD.* (e) §. *III. Inst. tit. de nuptiis.*

trueles & consobrinos, jure antiquo Romano non vetabantur (*a*). Primus Theodosius M. nuptias consobrinorum interdixit: *tantum pudori tribuens & continentiae*, inquit de eo Aurelius Victor (*b*). Sed Arcadius revocata pristini juris auctoritate legem patris sustulit (*c*): & similiter Justinianus consobrinorum nuptias permisit (*d*). Et quamquam jus ab Arcadio restitutum & ab Justiniano confirmatum Sirmondus in dubium revocet, & Jo. Launojus Arcadii legem tantum non explodat; tamen verius est, hos imperatores nuptias inter consobrinos restituisse, quod Jac. Gothofredus & Everardus Otto plenissime demonstrant.

Jure canonico olim nuptiae etiam septimo gradu vetitae.

§. X. Quod vero spectat ad ecclesiam, ea in contrahendis matrimoniis & naturae instituta & leges civiles diu secuta est. Ergo in linea recta nuptiae in infinitum inter christianos vetitae sunt. Et ante Theodosium M. nuptiae consobrinorum inter christianos non erant interdictae, quod Augustinus testatur (*e*). Inde jus Theodosianum semper servavit ecclesia, nihil morata leges Arcadii aut Justiniani, quibus consobrinorum matrimonia restituta essent (*f*). Immo in ecclesiis Occidentis latius extensa est nuptiarum in-

(a) *August. lib. XV. de civit. Dei cap.* 16. *Confer. Christophor. Riccius in vindiciis juris cap. III.*
(b) *Aurel. Victor epitome histor.* (c) *L. XIX. C. de nuptiis* (d) §. *IV. instit. tit. de nuptiis.*
(e) *August. lib. XV. de civit. Dei cap.* 16. (f) *Gregor. M. ad Augustin. Anglor. episcopum cap. VI.*

ter collaterales prohibitio, nempe usque ad septimum gradum: quod jus post saeculum septimum induci coepit. Cavit concilium Romanum anno IↃCCXXI sub Gregorio II., ut nullus de propria cognatione uxorem accipiat (*a*): quod jus ex Levitico repetitum videtur, ubi Deus edicit, *nullus homo ad proximam sanguinis sui accedat, & revelet turpitudinem ejus* (*b*); jamdiu enim consueverant patres, leges civiles Judaeorum in ecclesiam invehere. Inde solliciti esse coeperunt episcopi, quousque cognatio extenderetur, iisque praesto fuisse videtur Iulius Paulus, qui successionis gradus septem constituit (*c*). Atque inde receptum, cognationem usque ad septimum gradum extendi, & in eo nuptias etiam ex latere esse interdictas, etsi non in omnibus ecclesiis hujusmodi interdictio servaretur. Quamvis in hoc episcopi veram sententiam jurisconsulti non videntur adsecuti: ille enim septem cognationis gradus constituit, non quod ultra septimum gradum cognatio non extenderetur, sed potius *quia ulterius per rerum naturam nec nomina inveniri, nec vita succedentibus propagari potest* (*d*); & notum alias est, jure civili etiam ulterius cognationem extendi (*e*), & adgnatis ultra septimum gradum deferri hereditatem (*f*).

Inde prohibitio ad quartum gradum restricta.

§. XI. Quo primum tempore prohibitio nuptia-

(a) *Conc. Roman. can. IX.* (b) *Levit. XVIII. v. 6.*
(c) *Paulus lib. IV. sentent. tit.* 11. (d) *Paul. loc. cit.* §. 8. (e) §. *VII. instit. civil. de gradib. cognation.*
(f) §. *V. inst. civil. de success. cognator.*

tiarum per canones ad ſeptimum ex latere gradum extenſa eſt, ex ſententia juris civilis eccleſia gradus computabat; nam ex gradu civili ſucceſſionis, quem ad ſeptimum gradum extendi putabat, cognationem metiebatur (*a*). Inde recepta canonica graduum computatione, & retenta eadem nuptiarum prohibitione; nuptiae inter conjunctos ex latere uſque ad decimumquartum gradum ex civili computatione interdictae ſunt: quod jus ſaeculo XII. & in cognatione & in adfinitate receptum fuiſſe videtur (*b*). Tam vero patens nuptiarum prohibitio incommodo erat reipublicae & eccleſiae, quod nuptias admodum difficiles reddidiſſet. Ergo Innocentius III. in concilio generali tam vagam prohibitionem reſtrinxit, ſtatuitque, ut tantum uſque ad quartum conſanguinitatis gradum deinceps nuptiae vetarentur (*c*). Cujus juris hanc rationem dedit, *quia quatuor ſunt humores in corpore, qui conſtant ex quatuor elementis*. Inadaequata profecto ratio: nec novum eſt, etiam ſummos juriſconſultos ineptas legum rationes adſignare. Certe Julius Paulus (*d*) rationem reddens, cur partus ſeptimeſtres maturi eſſent, id ea ratione dixit evenire, *quia ratio Pythagorei numeri* (nimirum ſeptenarii, qui magnae virtutis habebatur inter Pythagoricos) *hoc videtur admittere*. Et apud Ulpianum ratio, cur caecus a poſtulando repellatur, haec adſignatur, *quod inſignia magiſtratus videre & revereri non*

K 2 *poſ-*

(a) *Can. I. C. 35. q. 2.* (b) *Cap. I. de conſanguin. in* I. *collect. ap. Ant. Auguſt.* (c) *Cap. VII. ex eod.* (d) *Paulus lib. IV. ſentent. tit.* 9. §. 5.

possit (*a*). Nisi summus pontifex subtilius philosophatus sit ex quatuor elementorum doctrina, ex quibus omnia fieri, moveri & tandem mutari veteres credebant: quasi nempe gyro quatuor generationum elementa omnia, unde emergebat cognatio, prorsus evanescerent, & ita cognatio extingueretur.

Civilis cognatio etiam nuptias nullas facit.

§. XII. Praeter cognationem ex sanguine exortam duae aliae cognationis species ad nuptias inhabiles faciunt contrahentes, cognatio nempe *civilis* seu *legalis*, & *spiritualis*. Et quod spectat ad cognationem civilem, ea est ab adoptione, quae apud omnes fere gentes recepta, nullibi tamen tam frequens fuit, quam apud Romanos. Erat adoptio actio legis seu actus legitimus quo qui natura filius non est, in jura filii adsciscitur. Inventa est imitatione naturae ad familias & adgnationes propagandas & sustinendas: filiusque adoptatus jus adgnationis in familia patris adoptantis consequebatur. Hinc adoptati in familiam patris adoptantis transibant, & ita omnibus ejus adgnatis cognati censebantur, quod Julius Paulus (*b*) tradit. Itaque nefariae visae sunt nuptiae inter adoptantem & filiam adoptatam, & generatim inter omnes, qui in linea recta per adoptionem parentum & liberorum loco essent (*c*). Item filius naturalis nec sororem adoptivam (*d*), nec amitam, nec amitam ma-
gnam

(a) *L. I.* §.5. *D.de postulando*. (b) *L. XXIII.D. de adoptionib.* (c) §. *I Inst. de nuptiis*, *L. LV.D. de ritu nupt.* (d) §.*II.Inst.eod.*,*L.XVII.D.de ritu nup.*

gnam adoptivam uxorem ducere potest (*a*). Sed non eodem modo inter omnes per adoptionem conjunctos nuptiae vetitae sunt: etenim inter eos, qui parentum & liberorum loco in linea recta erant, etiam dissoluta adoptione nuptiae non erant (*b*): quamvis enim per emancipationem jura omnia adoptionis solverentur; tamen sancta & perpetua esse debet reverentia inter eos, qui semel parentum & liberorum loco fuerunt. Inter eos vero qui per adoptionem ex latere conjunguntur, quousque durat adoptio nuptiae prohibentur, eaque soluta recte contrahi possunt (*c*). Et quoniam in nuptiis etiam id quod honestum erat, Romani attendebant, eae etiam vetitae sunt inter filium adoptatum & uxorem, aut matrem, aut materteram patris adoptantis (*d*), etsi hae omnes extra familiam essent, nec adgnatae filio adoptivo. Ex integro impedimentum civilis cognationis ab jure Romano ecclesia recepit, nec in eo aliquid mutavit (*e*). Et hinc Cujacius adfirmat, civilem fraternitatem etiam hodie dirimens impedimentum constituere, nimirum stante adoptione (*f*)

Cognatio spiritualis nuptias dirimit.

§. XIII. Cognatio spiritualis est necessitudo inter certas personas ex baptismi & confirmationis datione, aut eorum, qui baptizantur & con-

---

(a) *Cit. L. XVII.* §. 2. (b) *Cit.* §. *I. Inst., cit. L. LV. pr.* (c) *Cit.* § *II. Instit., cit. D. LV.* §. 1. (d) *L. XIV. D. de ritu nuptiar., cit. L. LV.* §. 1. (e) *Can. VI C. 30. q. 3.*; *cap. un. ex de cognat. legali.* (f) *Cujac in tit. decretal. de cognat. legali.*

confirmantur, susceptione exorta. Antiqua ex ecclesiae doctrina, qua veluti pater spiritualis censebatur, qui alicui baptismum dederat, aut eum in fide instituerat & de sacro fonte susceperat (*a*): per baptismum enim homines in novam vitam renascuntur. Sed cognatio ista olim nuptiis non erat impedimento, adeo ut ipsi parentes filios suos de baptismo susciperent (*b*). Primus Justinianus statuit, ne quis ex baptismo susceptam uxorem duceret; idque quia nihil magis paternam affectionem & nuptiarum prohibitionem posset inducere, quam hujusmodi nexus, quo eorum animae Dei caussa copulatae sunt (*c*). Inde Nicolaus I. exemplo adoptionis spiritualem cognationem veluti nuptiarum impedimentum proposuit & inculcavit (*d*): quae argumentatio fortasse minus recta est: filii enim spirituales in familiam sponsoris non transeunt. Quidquid vero hujus rei sit, saeculo septimo & sequentibus in utraque ecclesia sensim ad alias personas fere ad instar consanguinitatis & adoptionis impedimentum ex spirituali cognatione extensum est: quod sponte sua debuit evenire ex sententia ejus aetatis, qua *spiritualis affinitas corporum conjunctione major* reputabatur: quam rationem Trullani patres & Nicolaus papa proponunt (*e*). Itaque vetitae sunt nuptiae inter su-

(a) *Origen. ad Rom. XVI. 21., Basil. in const mo nast. cap. XX., auctor ecclesiast. hierarch. cap. VII.*
(b) *August. ep. XCVIII. ad Bonif. Confer. superius dicta cap. VII.* §. 13. (c) *L. XXVI. C. de nuptiis.*
(d) *Can. I. C. 30. q. 3.* (e) *Conc. Trullan. can. LVII. cit. can. I.*

fuſcipientem & fuſceptam hujuſque parentes (*a*): inter filium naturalem fuſcipientis & filiam ſpiritualem , quia frater & ſoror eſſe videbantur (*b*): & in multis eccleſiis filii omnes naturales fuſcipientis etiam cum fratribus & ſororibus fuſcepti jungi matrimonio vetabantur (*c*) , quaſi per cognationem ſpiritualem in unam duae familiae compingerentur . Quin ſi ſolus maritus ex ſacro fonte ſuſcepiſſet , ejus uxor etiam commater cenſebatur . Et poſtquam nuptiae vetitae ſunt inter ſuſcipientem & baptizati parentes , canones etiam vetuerunt , ne parentes filios ſuos de baptiſmo ſuſciperent (*d*) . Cognatio iſta ſpiritualis etiam ex confirmatione matrimoniis erat impedimento ; poſtquam enim confirmatio feorſim a baptiſmo dari coepit , etiam proprii ſponſores in confirmatione adhibiti ſunt . Sic extenſa ſpiritalis cognatio nuptias difficiles reddebat , quin etiam contingebat , ut in caſibus vetitis per ignorantiam inirentur . Hinc Tridentini patres impedimentum cognationis ſpiritualis reſtrinxerunt , ac ita eam contrahi voluerunt tantum inter ſuſcipientes ac baptizatum ipſum & hujus patrem & matrem , nec non inter baptizantem & baptizatum hujuſque patrem & matrem (*e*) : quod jus etiam in confirmatione valere voluerunt .

Quid

(a) *Cit. can, Trull., capitul. reg. Francor. lib. VI. cap.* 421 *. edit. Baluzii* . (b) *Can. I. C.* 30 *. q.* 3 *., can. III. eod.* (c) *Cap. I. ex. de cognat. ſpirit.* (d) *Concil. Moguntinum an.* IↃCCCXIII *. can. LV.* (e) *Trid. ſeſſ. XXIV de ref. matrim. cap.* 2.

Quid adfinitas, ejusque natura.

§. XIV. Hactenus de cognatione, dicendum nunc de adfinitate, quae etiam nuptiis impedimento est, & contractas dissolvit. Jure civili adfinitas est necessitudo inter conjugem unum & alterius cognatos; ita dicta quod duae cognationes diversae per nuptias copulantur, & altera ad alterius finem, qui maritus vel uxor est, accedit (*a*). Ex nuptiis apud Romanos ortam esse adfinitatem Modestinus docet (*b*): per nuptias enim vir & mulier veluti unum fiunt; quo fit, ut vinculo isto utrinque cum iis etiam eorum cognati copulentur. Sed jure decretalium adfinitas ex quacumque etiam illicita carnis commistione nascitur (*c*): atque ita per quamcumque copulam una cognatio ad alterius finem accedit. Quin ex nuptiis exorta adfinitas triplicis generis erat ex triplicibus gradatim contractis nuptiis (*d*). Etenim primae nuptiae cognatos viri adfines primi generis uxori faciebant, quae est proprie sic dicta adfinitas: inde si superstes vidua ad secundas nuptias transiret, hic secundus maritus adfinis secundi generis cognatis primi viri erat: & demum muliere mortua, si ejus superstes maritus aliam uxorem duceret, haec tertii generis adfinis cognatis primi viri censebatur. Adfinitas ex illicita conjunctione Romanis incognita fuit; at secundum adfinitatis genus

---

(a) *L. IV.* §. 3 *de gradib. & adfinib.* (b) *Cit. l. IV.* §. 3. (c) *Cap. VIII. & seq. ex. de eo, qui cognovit consanguin.* (d) *Confer. Cujac. ad tit. decretal. de consaguin. & adfinit.*

nus saltem in linea recta apud Romanos etiam obtinuit (*a*). At jure canonico etiam inter collaterales secundum & tertium genus adfinitatis inductum est, cui adfinitatis extensioni fortasse falsa Fabiani papae decretalis (*b*) prebuit occasionem. Semel autem contracta adfinitas etiam dissolutis nuptiis perseverat: qua in re novum civile jus & canones conveniunt. Etenim antiquo Romanorum & aliarum gentium jure adfinitas solutis nuptiis solvebatur; quod Reinoldus, Gerardus Noodt & in primis Heineccius probant (*c*). Quod vero adfines ab adfinibus non generantur, nulli proprie gradus inter eos sunt (*d*): at exemplo cognationis etiam quasi gradus adfinitatis recepti sunt: & ita quo gradu quis est cognatus viro, eo est adfinis uxori, & contra (*e*). Quin demostrandae rei gratia, adfinitatis etiam lineam rectam & transversam distinguunt exemplo cognationis, cujus simulachrum est.

Prohibitio nuptiarum inter adfines.

§. XV. Jure gentium non minus quam civili nuptiae in linea recta adfinitatis in infinitum prohibitae sunt: est enim quidam naturalis pudor, qui inter socerum & nurum, inter novercam & privignum aliosque adscendentes & descendentes adfines nuptias vetet: hi scilicet per

(a) *L. XV. D. de ritu nuptiar.* (b) *Can III. C. 35 q. 2. & 3.* (c) *Reinold. variar. cap. XXIV., Noodt. ad tit. DD. de ritu nuptiar., Heinec. ad L. Jul. & Papiam lib. II. cap. 17.* (d) *L. IV. §. 5. D. de gradib. & adfinib.* (e) *Can. III. C. 35. q. 2. & 3.*

adfinitatem veluti parentes & liberi facti sunt. Hinc Cicero quum socrum genero nupsisse narrasset, subdit (*a*), *o mulieris scelus incredibile, & praeter hanc unam, in omni vita inauditum!* Et apostolus tale stuprum ne inter gentes quidem nominari ait, ut quis uxorem patris sui habeat (*b*). Sed inter adfines ex latere jure Romano neque frater uxorem defuncti fratris ducere, nec vicissim soror marito sororis defunctae nubere potest, quoniam per adfinitatem inter se veluti fratres & sorores reputantur (*c*). primis saeculis etiam in adfinitate civile impedimentum ecclesia secuta videtur; at inde impedimento cognationis ad septimum ex latere gradum extenso: etiam adfinitas usque ad septimum ex latere gradum nuptiis fuit impedimento: quod non secus ac in cognatione difficiles nuptias faciebat, praesertim quando gradus ex canonica regula coeperunt computari. Ergo Innocentius III. in concilio generali abrogatis duabus posterioribus adfinitatis speciebus, nuptias inter adfines ex latere tantum usque ad quartum gradum canonicae computationis fieri interdixit (*d*). Et inde Tridentini patres adfinitatem ex illegitima conjunctione ad secundum gradum restrinxerunt (*e*).

Publica honestas etiam nuptias nullas facit.

§. XVI. Quasi adfinitas, seu publica honestas etiam nuptiis impedimento est, easque contractas dis-

---

(a) *Tull. orat. pro Cluentio cap. VI.* (b) I. *ad Cor. V.* I. (c) *L. V. VIII. seq. C. de incest. nupt.* (d) *Cap. VIII. ex. de consang. & adfinit.* (e) *Trid. sess. XXIV. de ref. matrim. cap.* 4.

dissolvit. Nomine publicae honestatis venit proximitas ex sponsalibus & ex matrimonio rato nec consummato contracta. Inhonestum nempe visum est, ut, dissolutis sponsalibus, aut matrimonio rato, cum sponsae aut uxoris consanguineis nuptias contraham. Jure Romano publica honestas inducta erat, sed in sponsalibus tantum inter filium & sponsam patris, & patrem & filii sponsam (*a*): nec ejus matrem, quam sponsam habui, licebat uxorem ducere (*b*). Inter has personas omnino nuptiae non consistebant, nec recte post Theophilum, Jac. Gothofredum aliosque summus Mazochius contendit, honestate tenus, non necessitate nuptias vetitas fuisse (*c*): idque praesertim quod Tribonianus *rectius & jure facturos* eos ait, qui ab ejusmodi nuptiis abstinuerint (*d*). Sed τό *rectius* idem est ac recte: saepe enim in Latinis monumentis & libris juris comparitiva positive significant, cujs locutionis passim prostant exempla, sed unum tantum addo, quod rem conficere videtur. Eos qui sunt ultra fratres *melius* facere, ait Ulpianus (*e*), si querela inofficiosi abstineant, quod obtinere spem non habeant; ubi *melius* idem est ac bene. Per plura saecula etiam in publica honestate ecclesia principum leges secuta est: at post saeculum septimum in ecclesia impedimentum hoc ad septimum ex latere gradum extensum est: quod

---

(a) *L. XII.* §. 1. 2. *D. de ritu nuptiar.* (b) *L. XIV.* §. 4. *eod.* (c) *Mazoch. diatr. I. in can. LIV. conc. Illiberit. n.* 15. *addita dissert. Muscettulae.*
(d) §. *IX. Inst. de nuptiis.* (e) *L. I. D. de inofficioso.*

jus habent falsae decretales (a). Sed post concilium Lateranense sub Innocentio III, quo consanguinitas & adfinitas ex latere gradu quarto inclusae sunt, etiam publica honestas eo gradu coërceri coepit. Ex sponsalibus autem nascebatur honestas, si *pura & certa* essent, idest sine conditione & cum determinata persona, licet quavis ratione invalida, modo non essent nulla ex defectu consensus (b). Et tandem jure concilii Tridentini honestas ex sponsalibus quacumque ratione nullis sublata est, ex validis primum gradum non excedit (c).

Inhabiles ad novas nuptias conjugati.

§. XVII. Inhabiles quoque sunt ad novas nuptias contrahendas, qui adhuc pristino conjugio adligantur: quod *ligaminis* impedimentum solent appellare. Certe rectae rationi & familiis convenientius est, ut una mulier uni tantum viro matrimonio conjungatur (d). Et deinde sic institutum a Deo matrimonium est, ut duo sint in carne una (e): quae institutio polygamiae adversatur. Recepta quidem fuit pluralitas uxorum apud plerosque populos in primis Judaeos; & nunc obtinet etiam apud Orientales: quibus moribus receptis unam habenti uxorem alias ducere non est impedimento. Sed apud Romanos polygamia ferme ignota, eoque nomine Romani barbaros deridebant, quod Sallustius (f) testatur. Et ecclesia

(a) *Can. XV. C. 27. q. 2.* (b) *Cap. un. de sponsal. in 6.* (c) *Trid. sess. XXIV. de ref. matrim. cap. 3* (d) *Confer. Pufendorf. de jur. nat. & gent. lib. VI. cap. 1. §. 19.* (e) *Genes. II. 24.* (f) *Sallust. de bell. Jug.*

sia primaevae institutioni innixa polygamiam semper damnavit, idque etiam eo nomine quod sacramentum conjunctionis Christum inter & ecclesiam, quod matrimonio continetur, pluribus acceptis uxoribus nullum est. Itaque apud christianos non licet secundas nuptias contrahere, nisi ante de conjugis morte certo nuntio constet, quod in canonibus Basilii comprehensum est (*a*), & a Clemente III. confirmatum (*b*): atque ita abrogatum est jus civile, quo uxori militis, quae post quatuor annos nullum sospitatis viri indicium haberet, & de desiderio suo ducem convenisset, novas nuptias contrahere licebat (*c*).

Nuptiae inter servos jamdiu receptae.

§. XVIII. Nullae porro sunt nuptiae, quas liberi cum servabus, quas putant esse liberas, contrahunt. Jure civili tantum cives Romani justas nuptias inibant (*d*): & servi, qui potius res quam homines censebantur, nuptias non contrahebant (*e*), sed ex consensu dominorum sibi alias conservas conjungebant: quae servorum conjunctiones Romanis *conturbernia* dicebantur, erantque conjugia naturalia effectibus civilibus destituta. Ecclesia in imperio nata longo tempore inter servos, aut inter servos & liberos legitimas nuptias non adgnovit, sed tantum contubernia, matrimonia nempe, quae tantum jure naturali sustinerentur, civilibus effecti-

---

(a) *Basil. can.* XXXI. & XXXVI. (b) *Cap.* XIX. *ex. de sponsalib.* (c) *L. VII. C. de repudiis.*

(d) *Pr. tit. inst. de nuptiis, l. III. C. de incest. nuptiis.* (e) *L. XIV.* §. 3. *D. de ritu nuptiar.*, *Ulpian. fragm. tit. V.* §. 9.

ctibus omnino destituta, eaque ex dominorum voluntate contrahi voluit (*a*), & aliter contracta fornicationis loco antiquis patribus erant (*b*). Hinc servorum conjugia ecclesia per hierologiam non consecrabat, etsi de voluntate dominorum celebrarentur: nuptias enim non conturbernia ad sacramenti dignitatem Christus elevavit. Sed lapsu temporis conturbernia servorum sensim in rata matrimonia abjerunt, & invitis etiam dominis contracta sunt (*c*): quin etiam admissa sunt legitimae nuptiae hominis liberi cum serva, modo ille conjugis conditionem non ignorasset (*d*). Contigit tanta mutatio ex principiis christianae religionis, quae habent, apud Deum non esse personarum distinctionem (*e*). Quamquam haud scio, an verissima alioquin doctrina debuisset adeo extendi, ut civium ordines confunderet. Et ne aliquid matrimoniis servorum deesset, eis etiam sacerdotalis benedictio accessit: quod in Occidente saeculo XII. inductum videtur (*f*), qua de re plura Carolus Blascus habet (*g*). Unum tantum ex antiqua disciplina superest, quod nullum est matrimonium, si quis liber ignorans contrahat cum serva, licet error qualitatis sit: quod jus ex canonibus sub nomine concilii apud Vermeriam Gratianus exsculpsit (*h*), & inde pontifices secuti sunt (*i*).

Rap-

(a) *Can. VIII. C. 29. q. 2.* (b) *Basilius ep. canonic. ad Ampiloch. can. XLII.* (c) *Cap. I. ex. de conjugio servor.* (d) *Can. II. IV. & seq. C. 29. q. 2.* (e) *Can. I. & II eod.* (f) *Cit. cap. I. ex.* (g) *Blacus epist. in can.* fraternitatis *D. 34.* (h) *Grat. ad can. VI. C. 29. q. 2.* (i) *Cap. fin. ex. de conjugio servor.*

Raptus quando nuptias nullas facit.

§. XIX. Item nullum est matrimonium inter raptorem & raptam. Raptus est abductio puellae per vim aut dolum facta, sive ipsa invita sit, sive ipsa consentiat, parentibus invitis: vis enim etiam parentibus fieri intelligitur, dum puellae, quae sub patris potestate sunt, rapiuntur. Primis ecclesiae saeculis videntur constitisse nuptiae inter raptorem & raptam, si haec nulli esset desponsata, & inde ipsa ejusque parentes nuptiis consentirent: quod ex canonibus vulgo dictis apostolicis & Ancyranis constat (*c*). Inde Justinianus statuit, ne umquam rapta raptori matrimonio conjungatur, etsi rapta ejusque parentes consentirent (*d*): atque ita perpetuo inhabiles ad nuptias inter se contrahendas raptor & rapta facti sunt: quod idem jus regum Francorum capitularia confirmarunt (*e*). Justum visum est, ei in perpetuum denegare uxorem, quam hostili more & nuptiis adverso sibi conjungere studuit. Hoc jus ecclesia Occidentalis & Orientalis post Justinianum amplexa est, & multis canonibus edixit, ut mulieres raptae nullatenus raptoribus suis nubant, etsi postmodum & ipsae raptae & parentes consentiant (*f*). Sed saeculo decimo in Occidente hoc impedimentum coepit relaxari, & tandem inter raptorem & raptam concessum fuit matrimonium, si rapta inde raptori consentiret, *si prior dissensio*, inquit Innocentius III. (*g*), *tran-*

(a) *Can. apostol. LXVI., conc. Ancyr. can. XI* (b) *L. un. C. de raptu virgin.* (c) *Capit. reg Franc. lib. VI. cap.* 69. (d) *Can. XI. C.*36. *q.*2. (e) *Cap. VII. ex. de raptorib.*

transseat posimodum in consensum. Civilis potestas eo tempore in Occidente in tot exiguos dominos & dynastas distracta impotens contra raptores evaserat. Quoniam vero quamdiu rapta in potestate raptoris existit, non videtur sponte in nuptias consentire; statuerunt Tridentini patres, tum valere inter raptorem & raptam nuptias, si haec a raptore separata & in loco tuto & libero constituta illum in virum habere consenserit (*a*). Itaque ex praesenti disciplina raptor & rapta eo tantum tempore sunt inhabiles ad nuptias, quo rapta apud raptorem moratur.

Adulteri quibus casibus inhabiles ad nuptias.

§. XX. Porro inhabiles ad nuptias inter se contrahendas sunt adulter & adultera, si eorum alter innocentis conjugis vitae insidias paraverit ineundi cum adultero matrimonii caussa, vel si post adulterium vivo adhuc alterius conjuge de futuris nuptiis sibi mutuo fidem dederint. Jure Romano inter adulterum & adulteram omnimodo nuptiae interdictae sunt (*b*). Quod jus per plura saecula servavit ecclesia (*c*). Ex qua juris civilis & ecclesiae veteris sententia scripsit Augustinus, *marito mortuo, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest, cum quo prius adulterium fuit* (*d*): quae verba negatione omissa perperam apud Gratianum exhibentur (*e*). Generale jus, quo

---

(a) *Trid. sess. XXIV. de ref. matrim cap. 6.* (b) *L. XI. §. 11. & L. XL. D. ad L. Juliam de adulter.*, *novel. CXXXIV.* (c) *Confer. Anton. August. epitom. lib. XXVII. tit* 21. (d) *August. lib. I. de nupt. & concupisc. cap.* 10. (e) *Can. II, C.* 31. *q.* 1.

quo nullae inter adulterum & adulteram erant nuptiae, stetit usque ad Gratianum, cujus opera ad duos casus speciales restrictum est, si nempe adulteri in mortem defuncti conjugis aliquid machinati sint, & si vivente alterius conjuge sibi futurum matrimonium promiserint: quas restrictiones Gratianus ex male intellectis duobus canonibus, uno concilii Meldensis, quem ipse Triburiensi assignat, altero concilii Triburiensis commentus est (*a*). Synodus Meldensis adultero, qui spe contrahendi cum adultera conjugium, alterius conjugem occidit, *sine ulla spe conjugii* perpetuam irrogat poenitentiam (*b*): quod statutum est ex disciplina ejus aetatis, quae peccatoribus enormibus omnino denegabat nuptias: nec erat ad solas inter adulterum & adulteram nuptias restringendum: & praeterea nescio an homicidium conjugis ad ejus machinationem recte extendi poterat. Et synodus Triburiensis ex generali regula, quae inter adulterum & adulteram nullum faciebat matrimonium, peculiarem casum damnavit, matrimonium nempe cujusdam viri, qui alterius conjugi struprum intulerat, juraveratque, se illam post mariti sui obitum uxorem ducturum (*c*). Fragmentum canonis, quo species patribus proposita ejusque decisio continentur, prout apud Burchardum & Juonem exstabat, omissa regula, Gratianus exscripsit: & hinc conclusit, per adulterium nullas esse nuptias in casu a-

(a) *Grat. ad can. III. C.* 31. *q.* 1. (b) *Conc. Meldense an.* IↃCCCXLV. *can. LXIX. ap. Grat. can.* 5. *eod.*
(c) *Conc. Triburiense an.* IↃCCCXCV. *can. XL. ap. Grat. can.* 4. *eod.*

patribus Triburiensibus proposito. Inde recepto Gratiani opere ex canonibus ab eo relatis, quin & ex ipsius doctrina res canonica aestimari coepit, adeo ut ex hoc fonte etiam ipsi pontifices saperent. Ita invaluit nuptias inter adulterum & adulteram tum nullas esse, si eorum alter in mortem conjugis aliquid machinatus sit ad nefarias nuptias contrahendas, aut si matrimonium sibi promiserint demum post mortem conjugis contrahendum, secundum quam doctrinam pontifices responderunt (a).

Etiam homicidium aliquando nuptias nullas facit.

§. XXI. Item nec mulier illi nubere potest, qui maritum ejus interfecit, si & ipsa in mariti mortem conspiravit. Sane rescripsit Caelestinus III. non posse christianas mulieres iis Saracenis nubere, qui earum dolis & insidiis maritos occiderunt, etsi Saraceni viduarum studio ad fidem accesserint, quum tale damnum tali lucro ecclesia nolit compensare (*b*). Hoc jus ex concilii Triburiensis canone pontifex proposuit: at sub ejus concilii nomine nulla exstat regula, qua interdicatur homicidae ducere mulierem, cujus maritum ipsa etiam conspirante morti dedit. Fortasse spectavit pontifex ad canonem quemdam concilii Meldensis, quem sub nomine concilii Triburiensis Gratianus retulit, ubi statuitur, ut si vir aut mulier admisso adulterio suum conjugem occiderint, sine ulla spe conjugii perpetuam agant poenitentiam (*c*). Quidquid vero hujus rei sit, si unius conjugis homicidium non in finem con-

---

(a) *Cap III. & seqq. ex. de eo qui duxit in matrimon.* (b) *Cap. I. ex. de convers. infidel.* (c) *Can. V. C. 31. q. 1.*

contrahendi matrimonii admittatur (*a*), aut quidem si in eum finem admissum sit, sed altero conjuge inscio (*b*), matrimonium non infirmatur.

Inter fideles & infideles nuptiae non sunt.

§. XXII. Nuptiis quoque jungi vetatur fidelis cum infideli, veluti ethnico & Judaeo: quod impedimentum *cultus disparitatem* nostri dicunt. Inde usque a primis saeculis nefas christianis fuit, nuptias cum ethnicis inire: quo nonnulli patres (*c*) apostoli sententiam referebant, quae viduis nuptias, sed *tantum in domino* permittit. Sane cum ethnicis nuptiae christianis officiis erant impedimento, & fidelem apostasiae obiiciebant: quin ex sententia Cypriani fideles matrimonio ethnicis juncti membra Christi ethnicis prostituebant (*d*). Nec tantum cum ethnicis; verum etiam cum Judaeis & haereticis nuptias contrahere christiani vetabantur, nisi illi vel se christianos fieri, vel ad catholicam fidem transire promitterent (*e*). Ceterum si vetitas istas nuptias christiani attentarent, tantum violatae disciplinae rei erant, & poenitentiae subdebantur; at nuptiae consistebant, quod Chardonius multis probat (*f*). Quin in Africa Augustini aetate ethnico nubere non videbatur esse peccatum, & ipse Augustinus tenebat, nullum esse in novo testamento praeceptum, quo tales nuptiae interdiceren-

(a) *Cit. cap. I.* (b) *Cap. III. ex. de eo, qui duxit in matrim.* (c) *Tertull. de monag. cap. VII., Hieronym. ep. XI ad Ageruchiam.* (d) *Cypr. de lapsis.* (e) *Conc. Illiberit. can. XVI. seq., Agath. can. LXVII* (f) *Chardon. histoire de mariage chap. XIII.*

tur (*a*). Primum edicto Valentiniani & Theodosii imperatorum nuptiae inter Judaeos & christianos irritae factae sunt (*b*): at nuptiae cum ethnicis & haereticis etiam sequentibus saeculis validae fuerunt. Cui sententiae non obstat lex Valentiniani & Valentis (*c*), qua nullum declaratur matrimonium, quod feminae provinciales cum barbaris & *gentilibus* contrahebant; *gentiles* enim in lege ista barbari sunt, qui apud Romanos militabant, quod Jac. Gothofredus demonstrat (*d*): atque ita imperatores tantum jus Romanum, quo inter cives & peregrinos non erant connubia, declararunt. Successu temporis apud Graecos synodus Trullana irritas decrevit inter fideles & haereticos contractas nuptias (*e*). Et in Occidente sensim consuetudine invaluit, ut fidelium cum infidelibus nuptiae non essent: quod jus saeculo XII jam receptum erat. At valent apud Latinos nuptiae cum haereticis, etsi illicitae & periculi plenae sint. Quì enim in individuam vitae consuetudinem possunt convenire, qui in fide erga Deum dissentiunt (*f*).

Votum sollemne castitatis nuptias dirimit.

§. XXIII. Porro monachi & regulares omnes sollemni voto castitatis adstricti nuptias contrahere vetantur, & contractae nullae sunt. Per plura saecula matrimonia monachorum & virginum, quae se Deo dedicaverant, etsi sacrilega & nefaria essent

---

(a) *August. de fide & operib. cap. XIX.* (b) *L. VI C. de Judaeis.* (c) *L. un. C. Th. de nupt. gentil.*

(d) *Jac. Gothofr. in cit. l. un.* (e) *Conc. Trull. can. LXXII.* (f) *Confer. Iuenin de sacram. diss. X. q. 7. cap. 6. art. 3.*

ſent, non tamen erant invalida, quod Innocentii I, Auguſtini, Leonis M. aliorumque teſtimoniis conſtat (*a*). Et aperte Theodorus Cantuarienſis, *ſi vir votum virginitatis habens, adjungitur uxori, non dimittat uxorem, ſed tribus annis poeniteat* (*b*). Sed ſub finem ſaeculi ſexti ſeparari matrimonia monachorum, & monachi in monaſterium ad poenitentiam revocari coeperunt: quam diſciplinam Gregorius M., concilium Toletanum IV anno IↃCXXXIII & Triburienſe anno IↃCCCXCV proponunt (*c*). Tandem in concilio Romano ſub Innocentio II anno CIↃCXXXIX aperte irrita facta ſunt matrimonia, quae canonici regulares & monachi contra profeſſam caſtitatem attentarent (*d*). Poſt hoc tempus diſtinctum eſt inter votum *ſollemne* & *ſimplex caſtitatis*, receptumque votum ſollemne irritas omnino facere nuptias contrahendas, ſimplex vero tantum eas impedire, non irritas facere. Cui diſciplinae praecipuam cauſſam Gratianus praebuit. Scilicet neſciens alias monachus iſte loca Auguſtini & Theodori cum concilii Romani decreto, quae omnia in ſuum codicem retulerat (*e*), in concordiam revocare; de more ſuo diſtinxit inter votum *ſimplex* & *ſollemne caſtitatis*, atque Auguſtinum & Theodorum intelligi debere de voto ſimplici, canonem vero Romanum de voto ſollemni: atque ita docuit, vo-

(a) *Innocent. I. ep. ad Victricium Roihomag.*, *Auguſt. de bono viduitat. cap. X.* (b) *Theodor. in poenitentiali.* (c) *Gregor. M. lib. VI. ep. 9.*, *conc. Tolet. IV can. 51.*, *conc. Triburienſe can. XXIII.* (d) *Conc. Roman. ſub Innocentio II. can. VII.* (e) *Can. XLI. & XLIII. & XL. C. 27. q. 1.*

votum ſimplex caſtitatis irritum non facere matrimonium, bene vero votum ſollemne (*a*). Parum ad rem erat diſtinctio iſta, apud antiquos enim etiam caſtitas ſollemni ratione Deo devota nullas nuptias non faciebat: nec umquam in veteribus monumentis vota ſub epithetis *ſimplicis* & *ſollemnis* diſtinguuntur. Et quae monumenta Gratiano contraria videbantur, re vera talia non erant; ſed diverſorum temporum ſiſtebant diſciplinam. Interim quod magni apud Latinos erat Gratianus, ab eo propoſita doctrina recepta eſt, & ſecundum eam pontifices reſponderunt, inhabiles eſſe ad nuptias, qui voto ſollemni caſtitatis, non qui ſimplici adſtringerentur (*b*). Quia ex eadem doctrina in textum Theodori apud Gratianum (*c*) vox *ſimplex* irrepſit, ipſo Theodoro & univerſa antiquitate invitis. Votum vero ſollemne caſtitatis, quod inhabiles ad nuptias facit, illud eſſe intelligitur, quod ſacro ordini ineſt, & quod in probata religione emiſſum eſt, cetera ſimplicia ſunt, idque ad dirimendas controverſias, quae hac de re frequentes erant, Bonifacius VIII. declaravit (*d*). Quod jus tandem Tridentini patres confirmarunt (*e*).

Et ſacer ordo.

§. XXIV. Monachis & regularibus affines ſunt ſacris ordinibus initiati, qui inhabiles etiam facti ſunt ad nuptias contrahendas. Antiqua eſt eccleſiae Latinae diſciplina, quae majores clericos omnino

---

(a) *Gratian. ad cit. can. XLIII. & ad can. VIII. D. 27.* (b) *Cap. IV. & ſeqq. ex. qui clerici vel voventes.* (c) *Can. III. D. 27.* (d) *Cap. un. de voto in 6.* (e) *Trid. ſeſ. XXIV. de ſacram. matrim. can. IX.*

no castos esse jubet, adeo ut nec eos uti permittat uxoribus, quas ante ordinationem duxerint: at in Oriente hypodiaconi, diaconi & presbyteri uxoribus suis ante ordinationem ductis jungi non vetantur, non vero permittuntur post susceptos ordines nuptias inire: qua de re alio loco fuse disseruimus (*a*). Nullus interim ex veteribns canonibus irritas dixit post ordinationem a sacerdotibus & sacris ministris attentatas nuptias (*b*). Sane antiqui canones tantum deponunt clericos, qui nuptias ineunt, non vero separandos decernunt, ut in conciliis Neocaesariensi, Carthaginiensi V, Arausicano I. (*c*) aliisque videre est, manifesto judicio nuptias sacrilegas, non irritas fuisse. Fortasse in Occidente primum in concilio Lateranensi I. sub Callisto II. anno CIↃCXXIII irrita facta sunt a majoribus clericis attenta matrimonia (*d*): idemque statutum etiam est in concilio Remensi (*e*), quod anno CIↃCXLVIII sub Eugenio III. habitum est. Quod si canon Lateranensis afferat, separari talia matrimonia *juxta sacrorum canonum definitionem*, id de jure, quod saeculo decimo & sequenti moribus invaluerat, Jueninus interpetratur (*f*). Quoniam vero clerici majores etiam sollemni castitatis voto adstringuntur; hinc dubitatum est inter theologos, utrum ordo sacer matrimonium ex lege ecclesiastica, an ex voto nullum reddat: quae quidem quaestio

---

(a) *Part. I. cap.* 34. (b) *Confer. Iuenin. de sacram. diss. X. q.* 7. *cap.* 8. *art.* 4. (c) *Conc. Neocaesar. can. I. Carthag. V. can.* 3. *Arausic. I. can* 23. (d) *Conc. Lateranf. I. can.* 21. (e) *Conc. Remense can. VII.* (f) *Iuenin. de sacram differ. X. q.* 7. *cap.* 8. *art.* 4.

stio parum utilitatis habet: nec de ea finienda Tridentini patres curarunt.

Impedimenta impedientia ex nova disciplina.

§. XXV. Tandem impedimenta, quae matrimonium impediunt quidem, sed non dirimunt, paucis exponam. Ea ex praesenti disciplina sunt sponsalia, votum simplex castitatis, haeresis & ecclesiae interdictum. Et sponsalibus quidem ex sacris canonibus utrique sponso jus quaeritur ad futuras nuptias: & hinc nequit alter contra fidem datam cum altera contrahere matrimonium (*a*); verum si reipsa contrahatur, valet (*b*): prorsus eodem modo, quo ejusdem rei venditio posterior, si traditio interveniat, priore venditione potior est (*c*). Voto quoque simplicis castitatis impediuntur, sed non dirimuntur nuptiae (*d*). Est votum simplex castitatis, quod professio religionis probatae, vel sacri ordinis susceptio sollemne non fecit. Interim hujusmodi voto adstricti peccant graviter nuptias contrahentes, fidem enim Deo datam abrumpunt (*e*). Cum haereticis quoque vetantur catholici nuptias contrahere, contractae vero sceleste quidem sunt, sed in Occidente non dirimuntur: quae est antiqua ecclesiae disciplina. Et demum impediuntur nuptiae, si episcopus aut parochus interdicit alicui contrahere matrimonium cum aliqua ob impedimentum, quod subesse creditur, donec de impedimento constet

(a) *Can. L. C. 27. q. 2.*, *cap. X. & XVII. ex. de sponsalib.* (b) *Cap. XXXI. ex. de sponsalib.* (c) *L. XV. C. de rei vindicat.* (d) *Cap. III. & seqq. ex. qui clerici vel voventes.* (e) *Confer. S. Thomas in IV. sententiar. dist. 38. q. 1. art. 2.*

ſtet (*a*). Ceterum ſi interea matrimonium contrahatur, conjuges ſeparantur, donec impedimenti cognitio finiatur (*b*). His addidit Benedictus XIV. doctrinae chriſtianae ignorantiam; nec enim qui ignorant religionis principia, matrimonio jungendi ſunt, donec ea didicerint (*c*). Scio paſſim alia numerari matrimonii impedimenta impedientia, veluti *tempus clauſum*, quod appellant, denuntiationes matrimonio præmittendas, conſenſum parentum, atque hujus generis alia, ſed nos ſub alio adſpectu ea recenſuimus.

Olim plura alia impidimenta impedientia.

§. XXVI. In veteri diſciplina erant plura alia impedimenta, quae matrimonium impedirent, veluti diverſitas cultus, vitae monaſticae profeſſio, ſacer ordo, publica poenitentia & ſpiritualis cognatio ex catechiſmo. Et quod ſpectat ad poenitentiam, apud Latinos a quarto ſaeculo publici poenitentes nec matrimonium contrahebant (*d*), nec antea contracto utebantur (*e*). Deliciae a nuptiis derivatae non bene cum poenitentia conveniebant. Quin eo ſeveritatis evaſit Latinorum poenitentia, ut etiam poſt datam pacem reliquo vitae tempore nec ad veteres nuptias redire, nec novas contrahere li-

(a) *Cap. I. & II. ex. de matrim. contrah. contra interd. eccleſ.* (b) *Cit. cap. II.* (c) *Benedict. XIV bul.* etſi minime *XLII.* §. 11. *tom.* 1. *Bull.* (d) *Conc. Arelat. II. can. XXI.* (e) *Ambroſ. de poenit. lib. II. cap.* 10.

ceret: quod Siricius papa & Leo M. testantur (*a*). Quae disciplina usque ad saeculum septimum stetit: inde pro criminibus occultis desueta publica poenitentia, ne occultorum criminum rei debitis poenis eximerentur, quod publicae poenitentiae tribuebatur, in atrociora crimina transferri coepit, ut recte Morinus observat (*b*). Hinc parricidis, occidentibus episcopum, aut presbyterum, aut uxorem, aut maritum suum, adulteris, incestuosis, raptoribus, iisque, qui publicam poenitentiam egissent, omni vitae tempore nuptiae interdictae sunt. Qui mores usque ad seculum XII. steterunt: quo tempore quum desinere coepissent canonicae poenitentiae, sensim impedimenta canonica propter crimina desierunt, quamvis in aliquibus ecclesiis aliquid pristini moris supersit. Cognatio spiritualis ex catechismo olim nuptias impediebat, eaque contrahebatur per oblationem ad baptismi scrutinia (*c*), in quibus etiam competentibus symbolum & oratio dominica tradebantur: eratque sponsor catechismi a baptismi sponsore diversus, nisi necessitas urgeret (*d*). Sed tandem scrutiniis ipsi dationi baptismi adnexis, cognatio ex catechismo desiit, qua ratione ejus Tridentini patres non meminerunt.

Quoad

(a) *Siricius ep. I. cap* 5. *ad Himer. Tarrac.*, *Leo M. ep. XCII. ad Rustic. Narbonens. edit. Quesnel.*

(b) *Morin. de poenit. lib. V. cap.* 22. (c) *Cap. V. ex. de cognat. spirit. cap. II. eod. in* 6. (d) *Can. C. D.* 4. *de consecrat.*

☞ *Circa impedimenta matrimonii, quæ reges nostri constituerunt, hæc adnotanda sunt.*

I. Jusserat Guillelmus I. & Fridericus Imperator Const.Reg. lib. 3. tit. 23. „ut nullus Comes, Baro, vel Miles, vel quilibet alius, qui Baronias, Castra, vel Feuda in capite a rege tenuerat, vel ab alio quæ in quaternionibus Dohanæ *inveniuntur in scriptis sine Regia permissione uxorem ducere audeat, maritare filias, sorores, aut nepotes vel quaslibet alias quas ipsi possent, vel debeant maritare, aut filias uxorare cum immobilibus, aut mobilibus. „ Sed Jacobus Rex cap. 22. libera reddidit matrimonia absq. licentia Regis, etiamsi in dotem dentur bona feudalia salvo servitio, quod pro ipso feudo curiæ debetur. „ hoc capitulo, ait Franciscus Testa, abrogatæ fuerunt leges Guillelmi I. & Friderici Imperatoris, quod quanta ratione factum sit ex eo intelligi potest, quod tradit Hugo Falcandus illius temporis scriptor in sua siciliæ historia „.*

II. Federicus III. cap.54. statuit „ non licere comitibus, Baronibus, feudatariis, & a Curia provisionem habentibus eorum filias in uxores dare alicui illorum, vel eorum filiis, qui fuerunt rebelles & hostes absq. licentia regis, vel mandato; Comitatu, Baronia, Feudis, ac provisione ipsorum aliter ad Regis Curiam devolvendis „.

III. In cap. 22. Caroli V. Imperatoris vetitum est minoribus decem, & octo annorum nuptias contrahere sine voluntate Curatoris, aut duorum Propinquorum. Vide quæ diximus in not.ad §.10.cap.26.

IV. Regnans feliciter Ferdinandus III. die 29. Aprilis 1773. mandavit ut matrimonium inter raptorem, & raptam etiamsi consentientem tamquam clandestinum reputetur, & ambo subjciantur pænis omnibus

constitutis per pragmaticam an. 1767. die 3. Augusti adversus matrimonium clandestinum. Vide dicta in notis ad §. 12. & 20 capitis 27.

V. Idem Rex die 26. Julii 1777. inter stuprantem, & defloratam puellam matrimonium vetuit sine Patris adsensu, sed absque violentia stuprantem ad matrimonium ineundum cogi non posse jussit alia lege sub die 15. Martii an. 1779. promulgata: cætera, quæ a Regibus nostris circa raptum, stuprum, aliaq. hujus generis crimina edita sunt adnotabimus, par. 3. hujus operis ubi de delictis, & pœnis agetur.

CAPUT XXIX.

De relaxandis matrimonii impedimentis.

Impedimenta matrimonii olim principes relaxabant.

§. I. QUi inhabiles ad matrimonium jure humano facti sunt, tum demum illud possunt contrahere, si legitima auctoritate venia impedimenti fiat, & lex impedimentum statuens in proposita specie relaxetur: quod jamdiu recepta voce *dispensatio* dicitur. Veteri jure impedimenta dirimentia jure humano statuta principum rescriptis relaxabantur, & vetitae nuptiae concedebantur, quod viri summi Jac. Gothofredus, Sirmondus & Launojus (*a*) docent. Sane inter tutorem & pupil-

(a) *Gothofr. in L.un.C.Th. si nuptiae ex rescripto petantur, Sirmond. in ep. XXIV. lib. 5. Ennodii Ticinensis, Launoius de regia in matrim. potest. par. I. art. 1. cap. 11.*

pillam vetitae nuptiae rescripto principum concedi solebant (*a*): quo eodem rescripto concedebantur etiam nuptiae inter consobrinos, ut ex lege quadam Honorii & Theodosii constat (*b*). Idem etiam Ambrosius testatur his verbis, *sed dicis, alicui relaxatum*, hoc est rescripto principis cum consobrina concessum matrimonium: *verum hoc legi non praejudicat* (*c*). Similiter Symmachus (*d*), *per epistolam summis precibus obsecravit, ut impetrata sacri auctoritate rescripti, filia ejus fratris sui filio copuletur, quod multis esse concessum manifesta testantur exempla*. Exstant quoque apud Cassiodorum (*e*) binae formulae, quarum una rex Theodoricus legitimum facit conjugium cujusdam nobilis, qui contra legum statuta mulierem plebejam duxerat; altera concedit nuptias inter consobrinos. Impedimenta dirimentia tum legibus principum inducebantur, ac proinde principis erat legem prohibentem relaxare, & nuptias vetitas indulgere.

Quae potestas inde transiit ad ecclesiam.

§. II. Hac stante principum potestate, ecclesiae jus in permittendis vetitis nuptiis id profecto erat, ut poenitentias a canonibus propositas contra eos, qui vetitas nuptias contraxerant, aut in totum, aut pro parte remitteret, quod ex concilio Chalcedonensi & Gregorio M. constat (*f*). Sed temporis lapsu potestas conce-

(a) *L. VII. C. de interdicto matrim. inter pupil.*
(b) *Cit. L. un. C.Th. eod.* (c) *Ambros. ep. LX. ad Paternum.* (d) *Symmach. lib. X. ep. 11.* (e) *Cassiodor. lib. VII. variar. cap. 6. n. 40 & 47.* (f) *Conc. Chalced. can. XVI., Greg. M. lib. I. ep. 33.*

cedendi matrimonii inter eos, qui inhabiles jure humano sunt; ad ecclesiam transiit: idque apud Latinos post saeculum XI. factum videtur, si vera observat Mariana (a): qui loquens de nuptiis Alfonsi regis Castellae cum Ulraca consanguinea sua, id habet, *nondum moribus receptum erat* (saeculo XI.); *ut pontificum Romanorum venia, lege cognationis soluta, conjugia inter cognatos coirent*. Postquam enim matrimonii sacramentum sibi subjecit contractum civilem, & veluti occupavit, sponte sua factum, ut ecclesia impedimenta relaxaret, ejusque juris fierent caussae omnes matrimoniales. Exercet autem potestatem concedendi matrimonii inter inhabiles fere tantum summus pontifex: quando enim potestas ista ad ecclesiam devoluta est, negotia ferme omnia ecclesiastica in consistorio pontificis tractabantur. Interim aliquando jus est episcopo veniam concedendi super occulto impedimento dirimente, si nempe matrimonium bona fide ex facti vel juris ignorantia coram ecclesia contractum sit, & inde consummatum, & conjugum separatio sine offensione fieri non possit, nec apostolica indulgentia ob loci distantiam, aliamve caussam facilis fit (b). Sed impedientia episcopi relaxant, exceptis duobus, nempe eo quod provenit ex sponsalibus, & voto simplici puroque castitatis perpetuae aut profitendi religionem (c). *Ra-*

(a) *Mariana lib. X. histor. cap.* 8. (b) *Conf. N Alexander lib. II. theol. de matrim.cap.* 4. *art.*13. *reg.* 10. (c) *Confer. Bened. XIV. de synodo dioecesi lib.IX.cap.*2.*n.*1.

Rarior ex mente ecclesiae impedimentorum relaxatio.

§. III. Quemadmodum vero in aliis disciplinae articulis raro admodum ecclesia a regulis patrum discedebat, ita etiam raro concedebat vetita matrimonia. Prima salus etiam a pontificibus habebatur, *rectam fidei regulam custodire, & a constitutionibus patrum nullatenus deviare*, ut Hormisdas summus pontifex loquitur (*a*). Et recte observat Christianus Lupus, primas indulgentias impedimentorum dirimentium non fuisse ab ecclesia datas ad nuptias postea contrahendas, sed potius fuisse *male contracti matrimoni toleratrices despensationes* (*b*): idque secundum antiquam disciplinam, quae facilius remittere solebat canonis jam infracti poenam, quam veniam dare ad canones infringendos. *Dispensationes praevias*, seu ad contrahendum futurum matrimonium, addit Lupus, *initiavit Alexander III, Innocentius III ac ejus successores viam ampliarunt*. Praesertim vero invaluit facilitas relaxandi matrimonii impedimenta jure humano inducta, postquam coeperunt quidam jurisperiti docere, Romanum pontificem canonibus etiam conciliorum generalium non ligari. Interim Tridentini patres parce admodum impedimenta ad contrahendas nuptias relaxari voluerunt, facilius vero si jam contractae sint, modo bona fide & ignorantia, quae omni culpa vacat, contractae sint (*c*): quo decreto antiquam disciplinam resti-

(a) *Can.IX.C.25.q.1.* (b) *Lupus schol. in can. XI conc.Remensis tom. 4.oper..E. V.* (c) *Trid. Sess. XXIV. de ref. matrim. cap. 5.*

ſtituere voluerunt. At etiam poſt hoc decretum facilis etiam fuit vetitarum nuptiarum conceſſio. Ceterum non omnia impedimenta dirimentia jure humano inducta facile ſolent relaxari, ſed tantum ea, quae ſunt ex conſanguinitate & adfinitate in remotioribus gradibus, ſpiritali & civili cognatione, publica honeſtate & crimine adulterii nulla conſpiratione in mortem conjugis facta. Reliqua vero impedimenta, & praeſertim ex voto ſollemni caſtitatis aut ſacri ordinis, raro admodum & ex cauſſis gravioribus relaxantur.

Ex cauſſa & gratis relaxanda impedimenta.

§. IV. Quo autem inter inhabiles recte nuptiae permittantur, legitima & proba cauſſa neceſſaria eſt: nec enim ſine cauſſa permittit eccleſia patrum ſtatuta relaxari. Et in ſpecie de relaxandis matrimonii impedimentis Tridentini patres cauſſam requirunt: *in contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſſa & gratis concedatur. In ſecundo gradu numquam diſpenſetur, niſi inter magnos principes, & ob publicam cauſſam* (a). Cauſſae autem ad canones relaxandos ex ſententia B. Bernardi (b) duae ſunt, neceſſitas & utilitas: & utilitas quidem non privata, ſed publica, quatenus majus bonum redundet in eccleſiam venia canonis conceſſa, quam ex ejuſdem obſervantia. Verum pro concedendis nuptiis in remotioribus gradibus lateralis cognationis

nis

(a) *Trid. ſeſ. XXIV. de ref. matrim. cap.* 5. (b) *S. Bernardus lib. III. de conſiderat. cap.* 10.

nis & adfinitatis, in impedimentis cognationis ſpiritualis & publicae honeſtatis recte docent, non requiri publicam neceſſitatem aut utilitatem, ſed ſufficere privatam, qua bonum majus adſequuntur, vel majus malum evitant ipſi contrahentes: quam ſententiam ipſi Tridentini patres videntur confirmare. Latius enim productis cognationis & adfinitatis impedimentis, faciliores in gradibus remotioribus videntur eſſe debere nuptiarum conceſſiones. Quaecumque vero ſit cauſſa relaxationis impedimenti, ea tum recta erit, ſi omnia ex fide bona exponantur: nam ſi quid falſum expoſitum ſit, aut ſi quid veri reticeatur, quo fideliter expoſito venia veroſimiliter aut facile data non eſſet, nullius momenti erit impedimenti relaxatio (a). Ceterum canonum & impedimentorum relaxationes gratis ſunt concedendae. Et ubi turpis lucri ſuſpicio ſubeſt, ſatius eſt, nihil recipere, quam recepta in pios uſus expendere.

Quibus relaxationes impedimentorum committuntur.

§. V. Jam vero matrimonii impedimenta per ſedem apoſtolicam relaxantur vel ante vel poſt contractas nuptias; & quidem duplici ratione, vel palam pro utroque foro, vel clam pro foro tantum interno, quoties impedimentum occultum eſt, nec facile poteſt innoteſcere. Pro utroque foro impedimenta per *datariam*, ſive *ſecretariam brevium*, ut appellantur, ſed pro foro interno per *poenitentiariam* conceduntur. Et

(a) *Cap. XX. ex. de reſcript., conſt. XLV. Benedicti XIV. tom. 1. Bullarii.*

olim quidem impedimentorum relaxationes in curia Romana causa cognita & caussis probatis *in forma gratiosa ut plurimum concedebantur*, Pyrrho Corrado teste (*a*). At praxis ista admodum difficilis erat: quo factum, ut concilii Tridentini tempore sine ulla caussarum notitia & probatione vetitas nuptias Romana curia concederet. Ergo concilii Tridentini decreto (*b*) nova praxis invaluit, qua impedimentorum relaxationes pro utroque foro ordinariis eorum, qui eas impetraverint, committuntur, ut auctoritate apostolica post caussarum probationem vetitarum nuptiarum veniam faciant. Nomine *ordinarii* ex praxi Romanae curiae & episcopus & ejus vicarius generalis venit: & si vicario nominatim relaxationes demandentur, non poterit episcopus exsequi mandatum: quae praxis ex eo procul dubio invaluit, quod creditum est, jus relaxandi impedimenta matrimonium dirimentia uni tantum pontifici competere, nec posse episcopos eo jure uti. Item delegatio facta episcopo vel ejus officiali, sede vacante ad collegium ecclesiae cathedralis non devolvitur: quin nec solet Romana curia sede vacante hoc jus capituli vicario demandare; sed hoc casu episcopo viciniori, aut ejus vicario generali relaxationes committit: idque factum ajunt, quod summus pontifex vicarii capituli fidem dubiam habeat. At quae pro foro interno conceduntur relaxationes, uni sacerdoti ad confessiones ex-

(a) *Pyrrhus Corrad. lib. VII. prax. dispensat. cap.* I. *n.* I. (b) *Trid. sess. XXII. de reform. cap.* 5.

excipiendas deputato, qui sit in theologia magister vel sacrorum canonum doctor, per oratorem eligendo committuntur (a).

CAPUT XXX.

De divortiis.

Definitio divortii.

§. I. NOmine *divortii* jure Romano venit legitima vinculi matrimonialis solutio vivente utroque conjuge facta, qua peracta alias nuptias inire licet: dictumque est divortium vel a diversitate mentium, vel quia in diversas partes eunt, qui dirimunt matrimonium (b). Alio nomine nuptiarum solutio *repudium* dicebatur, eoque repudium distabat a divortio, quod hoc inter virum & uxorem fieri dicebatur, repudium vero & sponsae & uxori mittebatur. *Divortium*, inquit Modestinus jurisconsultus (c), *inter virum & uxorem fieri dicitur: repudium vero sponsae remitti videtur, quod in uxoris personam non absurde cadit.* Sed jure canonico amplior est divortii significatio, eo enim non solum intelligitur ipsa vinculi matrimonialis jam contracti solutio, verum etiam separatio tori & habitationis ad tempus vel in perpetuum, quae integro matrimonii vinculo contingit. Quapropter caussae divortii cum caussis, qui-

(a) *Confer. Espen. par. I. tit.* 23. *cap.* 3. (b) *L. II. D. de divortiis.* (c) *L. CI.* §. 1. *D. de V. S.*

quibus initio matrimonium nullum est, non confundendae: etenim ubi conjuges divertunt, matrimonium jam contractum est: contra vero si nuptiae inter inhabiles celebratae separentur, nullum divortium intercedit, sed tantum declaratur, initio nullum fuisse matrimonium. Veteres multas divortii caussas, pauciora vero impedimenta habuerunt, contra quam quod praesentibus moribus receptum est.

Matrimonium jure naturae individuum.

§. II. Matrimonium origine & natura sua videtur esse societas individua inter maritum & uxorem, quae ferme sola morte alterutrius dividatur. Sane Deus dum hanc conjunctionem instituit, mulierem ex costa viri condidit, eamque viro in adjutorium dedit, & ut duo in una carne essent (*a*), hoc est arcta & perpetua affinitate conjuncti. Cui institutioni natura ipsa matrimonii consonat. Contrahitur matrimonium ad liberorum generationem & educationem. Mulieres autem ferme iterum concipere solent, longe antequam jam nati filii in eo statu sint, ut propria quadra vivere possint. Quo fit, ut vir individua vitae consuetudine cum muliere vivere debeat, quousque filii omnes majores sint, nec amplius institutione & alimentis parentum indigeant. Et in hoc societas matrimonialis distat a brutorum conjunctionibus, quae vel statim post concubitum separantur, vel aliquo tempore post natos filios persistunt, prout sola mater capax vel incapax est ad natos alendos. Nec ex

(a) *Genes. II. 21. seqq.*

ex principiis rectae rationis nuptiae inter homines videntur dissociari posse, postquam nati filii perfectae aetatis sint: & male profecto adfirmat Jo. Lokius (a), ex naturae institutis & fine matrimonii nihil esse, quo conjuges post perfectam filiorum aetatem simul stare debeant: etenim qui longo tempore in individua & dulci vitae consuetudine vixerunt, & reliquo tempore ad mutuum auxilium erunt individui, praesertim si familiae institutae sint, & filii apud parentes diu morentur. Porro nec audiendus Jo. Barbeyracius (b), qui docet, ex naturae scitis posse conjuges pactis conventis tempus, quo societas matrimonialis stare debeat, definire, modo quacumque ratione filiorum educationi consulant; ex institutis enim naturae est, ut ipsi parentes suos liberos instituant: quo spectat lac, quo statim a partu ubera matris turgent, & tener parentum in filios amor: quod mirum est, Barbeyracium non observasse. Ceterum si potiora & primaria capita obligationis nuptiarum violentur, posse eas jure naturali solvi, multi, in primis Pufendorffius (c), docent.

Divortia apud gentes recepta.

§. III. Quidquid vero sit de jure naturae & prima nuptiarum institutione, certe moribus & legibus populorum admissa & probata fuerunt divortia. In primis Hebraei, qua erant cordis du-

(a) *Lokius traité du gouvernement civil chap. VII.*
(b) *Barbeyrac. not. Gallic. in Pufendorf. de jure nat. & gent. lib. VI. cap.* 1. §. 20. (c) *Pufendorf. loc. cit.* §. 21. *seq.*

duritie & animi levitate, a Dei institutione desciverunt, & divortia ex quacumque caussa etiam levissima usurparunt. Etsi enim eorum magistri in doctrina non convenirent (alii enim docebant, non licere ab uxore divertere, nisi ob *rem turpem*, alii vero tenebant, quamvis caussam divortio sufficere); tamen in praxi omnes conveniebant, & ob quascumque caussas divertebant, quod Jo. Clericus observat (*a*). Qua in re tanta pervicacia fuerunt, ut Deus eorum duritiei cesserit, & receptos mores tolerarit: nec enim verum est, Mosem edita lege Judaeis divortia concessisse, quod recte Buxtorfius (*b*) probat. Similiter apud Graecos in primis Athenienses divortia permissa erant. Etenim viri Athenis ex futilibus argumentis dimittebant uxores: idemque jus ob justas caussas etiam uxoribus datum erat (*c*). Nec dissimilia fuerunt Romanorum instituta. *Dirimitur matrimonium*, inquit Julius Paulus (*d*), *divortio*, *morte*, *captivitate*, *vel alia contingente servitute utrius eorum*. Semper licuit Romae maritis ex justis caussis uxorem dimittere: at quousque steterunt antiqui mores, vix divortii exemplum reperitur: primusque Sp. Carvilius Ruga an. ab V. C. IↃXXIII. uxorem ejecit religionis caussa, quod apud censores juraverat, se liberorum quaerendorum gratia uxorem habiturum, ea vero, quam habebat ipsi dilectissima,

(a) *Cleric. in Deuteron. XXIV. v.* 1. (b) *Buxtorf. de sponsal. & divortiis part. III.* (c) *Confer. Potter. in archaeol. lib. IV. cap.* 12. (d) *L. I. de divortiis*.

ma, ſterilis erat. Inde paullatim corruptis moribus Romani vel ex leviſſima aut nulla cauſſa divortia uſurparunt: qua eadem licentia mulieres donatae ſunt (*a*). Quin ſine ira & animi offenſa nuptiae ſolvebantur, idque *bona gratia* fieri dicebatur. Adeo autem in pejus degenerarunt Romani, ut nulla femina repudio erubeſceret, & quaedam nobiles & illuſtres feminae non conſulum, ſed maritorum numero annos computarent ſuos (*b*). Et mirum & incredibile videtur, quod de Theleſina Martialis (*c*) habet, eam ſpatio unius menſis decimo viro nupſiſſe.

Matrimonium jure evangelico individuum.

§. IV. Verum enimvero quicumque fuerint Judaeorum & aliarum gentium mores, certe jure evangelico divortia interdicta ſunt. Chriſtus enim nihil moratus libellum repudii, quem Moſes Judaeis permiſerat, immo addens ob cordis duritiem illis fuiſſe permiſſum; docuit originem & natura ſua matrimonium eſſe individuam & perpetuam vitae conſuetudinem; & hinc moechari eum, qui dimiſerit uxorem ſuam, εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ *niſi ob fornicationem* (παρεκτὸς λόγου πορνείας *extra rationem fornicationis*, ut eſt apud Matthaeum V. 32.), & aliam duxerit; moecharique etiam eum, qui duxerit dimiſſam: Ita rem Matthaeus narrat, proponitque ſimul regulam & exceptionem (*d*). Marcus autem & Lucas (*e*) re-

(a) *Confer. Heinec. in append. ad lib. I. antiq. Roman. cap.* 1. §. 45. *ſeq.* (b) *Seneca de benef. lib. III. cap.* 16. (c) *Martialis epigr. VI.* 7. (d) *Matth. XIX. v.* 3. *& ſeqq.* (e) *Marc. X. v.* 2. *ſeq. Luc. XVI. v.* 18.

regulam tantum proponunt, nulla exceptionis facta mentione Sed novum non est, aliud exemplum per aliud declarari, & in uno tradi regulam, in alio etiam addi exceptionem. Porro Marcus videtur loqui extra casum τῆς πορνείας, ait enim, quod si quis *dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam*, hoc est in illam, seu in ejus injuriam. Quod si factum esset ex caussa scortationis, non sane diceretur in illam, idest in ejus injuriam factum: quandoque prius ipsa caussam praebuisset, & jus super viri corpus amisisset. Magistri doctrinam inde inculcavit apostolus: qui viri morte ab ejus lege uxorem scribit liberari (*a*). Qua doctrina non videtur Christus novam legem condidisse, sed potius nuptias ad primam originem revocasse, ac ita docuisse, omne matrimonium esse individuum.

Notio fornicationis.

§. V. Itaque per legem evangelicam interdicta sunt divortia, tantumque ex caussa τῆς πορνείας aliqua separatio conceditur. Videndum ergo, quae τῆς πορνείας notio sit, & cujus generis est a Christo concessa separatio. Et quod spectat ad primum, plerique ex patribus τῆς πορνείας *fornicationis* vocem stricte interpretati sunt, ut tantum veram & carnalem fornicationem, seu adulterium comprehendat: quam sententiam Tertullianus, Lactantius, Basilius, Hieronymus, Chrysostomus aliique (*b*) tenent. Alii vero laxius forni-

(a) *Ad Rom. VII. v. 2. seq.* (b) *Confer. Binghamus orig. eccles. lib. XXII. cap. 5. §. 1.*

nicationem accipiunt, ut etiam ſpiritualem fornicationem, hoc eſt idololatriam, apoſtaſiam, & id genus alia crimina includat, quo ſenſu Hermes Paſtor (*a*) fornicationem accepit, eamque ſententiam aliquando etiam Auguſtinus (*b*) fovit. Ex recentioribus Buxtorfius (*c*) opinatur, Chriſtum verbis λόγȣ πορνείας ſpectaſſe verba Moſis, *ſi in ea* (uxore) *deprehenderit rem nuditatis*, quo nomine venit & ipſe impudicitiae actus & actiones & mores vel geſtus, ex quibus violatae pudicitiae praeſumtiones petuntur. Quidquid hujus rei ſit, certe vox πορνεία generatim ſcortationem denotat. Nec videtur Chriſtus unice ad adulterium ſpectaſſe; nam quum hoc crimen morte apud Judaeos puniretur, nulla eſſe poterat quaeſtio, an ob adulterium nuptiae ſolverentur. Obſervatione quoque dignum eſt, non eſſe idem πορνείαν & λόγον πορνείας. Etenim λόγος pro ratione rei vel conditione accipitur. Quo ſenſu accepto vocabulo, ſeparationem Chriſtus videtur conceſſiſſe ob cauſſam, quae ſimilis adulterio, ejuſdemque cum eo naturae ſit, vel, quod perinde eſt; quae cum fine matrimonii non minus pugnet, quam adulterium. Interim eccleſiae patres fere ad ſolam adulterii cauſſam fornicationis notionem reſtringunt: adulterio enim quam maxime infringitur fides maritalis, & praeterea eo tempore ſcripſerunt, quo adulteri fere morte non puniebantur.

(a) *Germ. Paſt. lib. II.mand.* 4. (b) *Auguſt. de ſerm. dom. in monte lib. I. cap.* 16. *& lib. I. retract. cap.*19. (c) *Buxtorf. de ſponſal. & divort. par. III.*

Multi olim docebant, nec per fornicationem nuptias solvi.

§. VI. Nunc videndum, an separatio conjugum propter fornicationem a Christo concessa, tantum ex parte sit, & salvo matrimonii vinculo solam vitae consuetudinem abrumpat, an potius totalis, quae etiam concedat novas nuptias. Augustinus quaestionem de divortiis *obscurissimam & implicatissimam* dixit (*a*). Et cardinalis Cajetanus adserit, evangelii verba in caussa fornicationis pleno divortio favere (*b*). Ambrosius quoque Catharinus re utrinque expensa tandem concludit, nec ex apostolo posse colligi, non licere in caussa fornicationis aliud inire matrimonium (*c*). Certe antiqua ecclesia abiit in diversa, nec hodie ea de re inter Latinam & Graecam ecclesiam convenit. Et multi quidem docebant, conjugii christiani vinculum ne per adulterium quidem dissolvi, sed tantum vitae consuetudinem perpetuo abrumpi. Sane Origenes contra scripturam esse ajebat, ut aliqua viro priore vivente nuberet (*d*). Et Hieronymus similiter docet, dimissam ob fornicationem conjugem innuptam manere debere (*e*): quae eadem Innocentii papae doctrina fuit (*f*). Sinodus Milevitana rem promovente Augustino, qui con-

---

(a) *August. de adulterin. conjugiis lib. I. cap.* 25.
(b) *Cajet. in Matth. cap. V. & XIX.* (c) *Catharin. tract. de matrim.* (d) *Origen. hom. VII. in Matth.* (e) *Hieronym. ep. XXX. ad Ocean, & ep. CXLVII. ad Amandum.* (f) *Innoc. I. ep. ad Exuper. cap. VI.*

conventui intererat, individuum matrimonii nexum, nec adulterio solubilem, veluti *evangelicam & apostolicam doctrinam* proposuit, contemtores poenitentiae subjecit, & legem imperialem ea de re petendam decrevit (*a*). Quaesita lex est, sed non impetrata. In primis vero Augustinus individuum matrimonii nexum nec adulterio solvi multis locis propugnavit (*b*) & rationibus a scriptura desumtis & a conjugii sacramento, quo unitas Christum inter & ecclesiam exprimitur; sed vir sanctus sententiam suam veluti probabiliorem, non ut evangelicam proposuit. Sequentibus saeculis eamdem doctrinam multi tenuerunt, eamque synodus Forojulensis anno ƆCCXCI. proponit (*c*), & Hincmarus Remensis multis adstruit (*d*).

Contra alii per adulterium nuptias solvebant.

§. VII. Contra multi ex patribus & synodis particularibus exstimarunt, per adulterium dirimi ipsum matrimonii vinculum, & licere sive viro, sive mulieri, aut tantum viro conjugem peccantem dimittere, & novas nuptias contrahere. Sane tempore Tertulliani christianae mulieres *divortio vel mariti excessu* secundas nuptias contrahebant (*e*). Et synodus Arelatensis I. de adolescentibus fidelibus, qui uxores suas in adul-

---

(a) *Conc. Milevitan. can. XVII. in C. Afric. can. CII.* (b) *August. de adulterin. conjug.*, *& de bono conjug. cap. VII. & lib. I. de serm. domini in monte cap. XV.* (c) *Conc. Foroiul. can.* X. (d) *Hinc. Remensis ep. XXXVII. cap.* 8. (e) *Tertull. lib. II. ad xor. cap.* I.

terio deprehendunt, ſtatuit, ut, *in quantum poteſt, conſilium eis detur, ne viventibus uxoribus ſuis, licet adulteris, alias accipiant* (*a*). Fortaſſe vero patres tantum conſulunt, quod ea aetate ſecundis nuptiis quid impuritatis ineſſe credebatur, non quod tenebant, per adulterium matrimonii vinculum non ſolvi. Similiter ſynodus Venetica an. CCCCLXV ob fornicationem mulieris viro permittit novas nuptias (*b*). Ex patribus Lactantius, Epiphanius, Baſilius (*c*) aliique luculenter teſtantur, per adulterium ſolutas nuptias, & novas contrahi licuiſſe. Et auctor commentariorum in epiſtolas Pauli, qui ſub nomine Ambroſii deliteſcit, docet, ſoli *viro licere ducere uxorem, ſi dimiſerit uxorem peccantem* (*d*). Theodorus quoque Cantuarienſis (*e*), *Cujus uxor fornicatur, licet eam dimittere, & aliam ducere*. Eadem praxis deinceps etiam continuavit, aperte enim Zacharias ſummus pontifex (*f*), concilia Compendienſe (*g*), Vermerienſe (*h*) & regum Francorum capitularia (*i*) aliique ante ſaeculum decimum canones poſt alterius conjugis adulterium novas nuptias concedunt. Quibus aliiſque monumentis ductus Chriſtianus Lupus docuit, in veteri eccleſia probabile

---

(a) *Conc. Arelat. I. can. X.* (b) *Conc. Venetic. can. III.* (c) *Lactant. lib. VI. divin. inſtit. cap.* 23., *Epiphan. haer. LIX. n.*4., *Baſil. can. IX. ad Amphiloch.* (d) *Ambroſ. in* 1. *ad Cor. VII.* (e) *Theodor. capit. CXVI.* (f) *Can. XXIII. C.*32.*q.* 7. (g) *Can. XIX. C.* 32.*q.* 7. (h) *Can. XXIV. eod.* (i) *Cap. reg. Francor. lib. V. cap.* 19.

bile fuisse, per adulterium ipsum conjugii vinculum abrumpi (*a*).

Etiam ob alias caussas olim nuptiae solutae.

§. VIII. Sed non tantum ob adulterium mediis saeculis in ecclesia Romana & multis Occidentis ecclesiis separabatur consummatum matrimonium; verum etiam si quod aliud impedimentum dirimens, aut alia caussa, quae cohabitationem impediret, supervenisset. Et profecto Gregorius papa II. seu potius III. de muliere, quae infirmitate correpta non amplius viro suo commisceri poterat, respondit Bonifacio episcopo Moguntino ex tum recepta in ecclesia Romana doctrina, secundum quam Bonifacius pontificem consuluerat, bonum quidem esse, si maritus coelebs viveret, *sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis; non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas praepedit, non detestabilis culpa excludit* (*b*). Similiter in concilio Compendiensi anno IↃCCLVI. viro leproso permittitur dare commeatum mulieri sanae, ut si ipsa velit, maritum accipiat (*c*). Et in concilio Vermeriensi anno IↃCCLII permittitur marito, qui se defendendo morti dedit adgressorem, cum quo in mariti mortem uxor conspiraverat, illam dimittere & aliam accipere (*d*). Veluti ipsius naturae legem auctor quidam magni in Europa nominis habet.

(a) *Christ. Lupus in dissert. de opinione probabili cap. V. tom. II. oper. E. V.* (b) *Can. XVIII. C. 32. q. 7.* (c) *Conc. Compend. can. XVI.* (d) *Conc. Vermeriense can. V.*

habet Gregorii responsionem (a). At satius est dicere, multas olim ecclesias divortia & novas nuptias ob varias caussas concessisse, quod putarent, ea evangelio non adversari. Nimirum de conjugiis & divortiis quaestionem esse obscurissimam & plane a se non posse explicari Augustinus professus est. Et si Gratianus Gregorii sententiam veluti *sacris canonibus*, *immo & evangelicae & apostolicae doctrinae penitus adversam* traduxit (b), negotium istud potius ex sui temporis doctrina, quam ex antiquis moribus videtur aestimasse.

Leges christianorum principum de divortiis.

§. IX. Atque haec fuit de divortiis antiqua ecclesiae disciplina. Quod vero spectat ad leges christianorum principum, eae passim repudia concesserunt. In primis Constantinus M. parcior fuit: etenim permisit mulieri dimittere virum homicidam, veneficum vel sepulchrorum violatorem; marito vero dimittere uxorem moecham, veneficam, vel lenam (c): qua in re Constantinus videtur cessisse corruptis moribus (videbat enim sub initium non posse omnia emendari), atque ita mulieri mittere repudium marito adultero non permisit. At sequentes imperatores divortiorum caussas ampliarunt, eaque ex gravibus criminibus jure fieri concesserunt: injusta vero divortia, quae nimirum fierent propter mores, vel propter leves caussas ex consen-

(a) *Voltaire histoire générale chap. CXXVI.*
(b) *Grat. ad cit. can. XVIII.* (c) *L. I. C. Th. de repud.*

sensu modo poenis affecerunt, modo permiserunt impune, quod ex legibus Honorii, Theodosii junioris & Anastasii constat (*a*). Et Justinianus legitimis repudii caussis alias novas addidit (*b*): quin non solum per occasionem rationabilem, veluti monachatum, captivitatem ultra quinquennium & longam viri expeditionem; verum etiam mutuo consensu divertendi copiam fecit (*c*). Tandem vero anno IↃXL. eliminatis divortiis ex consensu, caussas divertendi ad quaedam magna crimina restrinxit (*d*). Post Justinianum similes gentium christianarum leges & in Oriente & Occidente latae sunt, quas Seldenus (*e*) enarrat. Interim leges istae, quae consensu vel ex levioribus vitiis repudia concedunt, evangelio adversantur, videnturque principes ad evitandos tristes eventus hujusmodi divortia tolerasse. Sed an etiam leges, quae ob gravia crimina mitti repudia permittunt, juri divino adversentur, non una est virorum doctissimorum sententia. Etenim Andreas Alciatus & Joannes Launojus (*f*) docent, imperatores nomen fornicationis, quo Christus apud Matthaeum usus est, latius pro omni gravi crimine accepisse, & ex hac sententia suas dedisse leges. Interim non defuerunt patres, qui jure fori non jure

(a) *L. II. C.Th. de repud., L.VIII. & seq. C. Just. eod.* (b) *L. X. seq. C. eod.* (c) *Novel. XXII.*

(d) *Novel. CXVII. cap.* 8. & 9. (e) *Seldenus uxor. Hebr. lib. III. cap.* 29. *seqq.* (f) *Alciatus lib. VI. pererg. cap.* 20., *Launoius de reg. in matrim. potest. par. III. art.* 1. *cap.* 5.

jure poli etiam ob adulterium concessa divortia statuebant, quorum numero Augustinus fuit (*a*). Etiam Chrysostomus (*b*) leges externas divortia facile concedentes damnat; sed tempore Chrysostomi tantum Constantini lex lata erat, ut proinde is leges ethnicas, quae suo tempore revixerant, damnare videatur.

Latinae ecclesiae de divortiis firmata doctrina.

§. X. Sed quae tandiu fluctuaverat divortiorum disciplina, tandem apud Latinos certior evasit; receptumque, ut vivente utroque conjuge nulla ex caussa ne adulterio quidem nuptiae solvantur, & ita saeculi leges ecclesiae auctoritati cesserunt. Quae doctrina post saeculum *X* Augustini praecipue auctoritate videtur invaluisse: etenim Jvo Carnotensis & primi scholastici (*c*) uni Augustino ferme innixi veluti certum docuerunt, nec adulterio nuptias dissolvi, contra quam ipse Augustinus fecerat, qui quaestionem de divortiis difficillimam habuit. Inde pontifices in primis Alexander III. & Innocentius III. rem perfecerunt, qui in responsis suis, nec per adulterium solvi conjugium professi sunt (*d*): tantaeque firmitatis rationem Innocentius a *conjugii sacramento* arcessit, hoc est a perpetua inter Christum & ecclesiam conjunctione, cujus nuptiae sacramentum sunt.

Quin

(a) *August. lib. L. homil.* 49. (b) *Chrysost. in* 1. *ad Cor. VII.* (c) *Ivo Carnorens. ep. CXXV. ad Diambert.*, *Magister Sententiar. in IV. dist.* 31.

(d) *Alexander III. in append. conc. Lateranens. par. VI. cap.* 25., *Innoc. III. cap. VII. ex. de divort.*

Quin idem pontifex eo etiam Christi verba traduxit, & ex Christi exceptione regulam fecit, *quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, fornicatur* (*a*): quod non jure factum est. Et tandem Tridentini patres anathema iis dixere, qui asserunt, ecclesiam errare, dum docuit & docet, secundum evangelicam & apostolicam doctrinam per adulterium matrimonii vinculum non posse dissolvi (*b*). Interim Graeca & reliquae Orientales ecclesiae perseverant in antiquis institutis, atque ita propter adulterium & alias probatas caussas divortia & novas nuptias concedunt (*c*) Ceterum hodierna ecclesiae Latinae doctrina ad fidem non videtur pertinere: quod Jo. Launojus (*d*) pluribus adstruit. Et profecto Tridentini patres non damnarunt sententiam, quae habet, per adulterium solvi matrimonium, sed potius anathema iis dixerunt, qui erroris accusabant ecclesiam, quod doceret, nec adulterio solvi matrimonium: idque fecerunt patres Venetis legatis intercedentibus, ne Orientis ecclesiae, & praesertim christiani in insulis Venetorum imperio subjectis offenderentur, quod cardinalis Pallavicinus (*e*) narrat.

Matrimonium legitimum quando solvitur.

§. XI. Illud vero semper certum in ecclesia

(a) *Cap. VIII. ex. eod.* (b) *Trid. sess. XXV. de sacram. matrim. can.* 7. (c) *Confer. Renaudotius lib. VI. de la perpetuité de la foi chap.* 7. (d) *Launoius de reg. in matrim. potest. par. III. art.* 1. *cap.* 5. (e) *Pallavic. hist. conc. Trid. lib. XXII. cap.* 4.

habitum est, matrimonium legitimum, hoc est inter infideles contractum, omnino dirimi per alterius conjugis ad fidem conversionem, quo casu infidelis discedat. Quod jus apostolus proposuit: *quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi* (*a*). Id autem a se edicere, non a domino accepisse, apostolus profitetur, non quia in hac specie divortium jure divino non admittatur (per apostolos loquebatur spiritus sanctus); sed quod aperte eam legem in evangelio non invenisset (*b*). Nec tantum solvitur matrimonium, si infidelis discedat, verum etiam si ille quidem morari cum fideli velit, sed in religionis injuriam, & peccandi praebeat occasionem, quod Chrysostomus, Augustinus & pontifices (*c*) tenent. Minus profecto est, infidelem discedere, quam cum conjuge morari, eumque ad peccatum cogere vel invitare. Quod si conjugi ad Christum converso infidelis molestus non sit, fideli apostolus divortium non concedit, idque ad illius salutem procurandam (*d*). Nullus certe doctor valere tantum potest, quantum uxor vel maritus. Et si patres concilii IV. Toletani generatim decreverint, discedere christianas mulieres a maritis Judaeis, si isti admoniti ad Christum transire noluerint (*e*); id videtur fa-

ctum

(a) 1. *ad Cor. VII.* 15. (b) *Theodoret. in cit. apostoli loc.* (c) *Can. IV. & seq. C.* 28. *q.* 1, *cap. VII. ex. de divort.* (d) 1. *ad Cor. VII.* 12. *seq. Confer. Franc. Florens in caus. XXVIII. q.* 1. (e) *Conc. Tolet. IV. can. LXII.*

ctum, quod Judaei in Hispania tenaciores suae religionis evaserant, nec spes ulla suberat, ut per christianas mulieres servarentur. Separatis autem conjugibus per alterius conversionem, si postea infidelis etiam convertatur, antequam prior novas nuptias injerit, matrimonium redintegrabitur (*a*). Quod si ambo conjuges ab initio fideles sint, & alter in apostasiam incidat, conjugii vinculum non solvitur, quod Innocentius III. docet (*b*).

Matrimonium ratum solvitur monastica professione.

§. XII. Porro matrimonium ratum, sed non consummatum etiam pleno divortio solvitur per alterius conjugis castitatis votum, etiam altero invito in aliqua probata religione emissum. Saeculo septimo doctrina ista etiam in Occidente recepta erat: *desponsatam puellam*, inquit Theodorus Cantuariensis, (*c*), *non licet parentibus tradere alteri, tamen ad monasterium licet*: quod capitulum apud Gratianum perperam Eusebio papae tribuitur (*d*). Et circumferuntur etiam antiqniora exempla, Theclae, Caeciliae, Alexii & Macarii, qui a nuptiis ad continentiam dicuntur transiisse. Inde Gratianus Alexii & Macarii exemplis & aliis auctoritatibus probavit, posse desponsos, conjuges nimirum, qui rei uxoriae nondum vacarunt, etiam altera parte inconsulta servare continentiam (*e*). At collectorem hunc ex adverso angebant aliae, quas congesserat,

 au-

(a) *Cap. VIII. ex. eod.* (b) *Cap. VII. ex. eod.* (c) *Theodor. cap. CII.* (d) *Can. XXVII. C. 27. q. 2.* (e) *Gratian post can. XXVI. C. 27. q. 2.*

auctoritates, quibus edicitur, sine alterius consensu non posse conjugatos continentes esse (*a*). Itaque ad conciliationem docuit, ante corporum conjunctionem non esse matrimonium (*b*): in quo turpiter erravit. Quidquid vero sit de Gratiano, inde pontifices Alexander III. & Innocentius III. responderunt, matrimonium ratum etiam ratione vinculi solvi per alterius conjugis monasticam professionem etiam altero invito factam, & conjugi relicto novas nuptias contrahere licere (*c*). Observat autem vir doctus Carolus Blascus (*d*), ante Alexandrum III. matrimonium ratum fuisse dissolutum etiam per continentiam sponsi extra monasterium: quae observatio vera est. At inde ad majoris castitatis custodiam placuit, tantum per sollemnem castitatis professionem in aliqua probata religione ratum matrimonium solvi. Hinc quo conjuges de meliori proposito deliberent, post contractas nuptias non statim matrimonio uti coguntur, sed habent duos menses ad monasticam vitam eligendam (*e*).

Consummato matrimonio quis effectus voti castitatis.

§. XII. Verum enimvero si matrimonium etiam consummatum fuerit, tum per monasticam etiam utriusque conjugis professionem vinculum non solvitur. Et si Justinianus edita lege statuit, ut etiam altero conjuge invito posset conjugatus monasticam vitam profiteri, eaque pro-fes-

(a) *Can. XIX. & seqq eod.* (b) *Gratian. post can. XXVIII.* (c) *Cap. II. & XIV. ex. de convers. conjugator.* (d) *Blascus diatr. ad cap. II. ex. de convers. conjugat.* (e) *Cap. VII. ex. eod.*

ſeſſione ipſum matrimonii vinculum ſolvi (*a*); dum monaſticae vitae impenſe favit, derogavit evangelio, quod Gregorius M. obſervat (*b*). Tantum in hac ſpecie ob cauſſam continentiae bona gratia toro & cohabitatione conjuges perpetuo ſeparantur, ſi nempe eorum unus ex alterius conſenſu, vel ambo ex compacto continentiam voveant & religionem profiteantur, aut ſi vir apud Latinos bona cum conjugis venia ſacris ordinibus initietur. Antiqua eſt eccleſiae ſententia, qua licet conjugibus ex compacto continentiam profiteri: ex compacto inquam: nam ſemper improbatum fuit eccleſiae patribus, unum ex conjugibus altero invito continentiam vovere (*c*). Non recte promittitur, quod adhuc eſt in alterius poteſtate, nec eſt grata donatio, ſi unus offerat rem duorum. Et per nuptias alter conjugum in alterius corpus jus adquiſivit. Itaque ſi altero invito conjux religionem profeſſus ſit, cogitur ad priorem ſtatum redire, & pro conjugis voluntate rei uxoriae vacare: at ipſe non videtur uti poſſe matrimonio, nam ejus promiſſio, ſaltem pro eo, quod ſui arbitrii erat, ſuſtinetur (*d*). Ceterum ſi ex alterius conſenſu conjux unus religionem ingrediatur, ſollicite cavendum eſt, ne alter incontinentiae periculo obnoxius ſit, aut ejus ſuſpicione laboret. Hinc vel

(a) *L. LIII.* §. 3. *C. de epiſc. & cleric.* (b) *Gregor. M. lib. IX. ep.* 39. (c) *Baſil. reg. major. q. XII. Paulin. ep. ad Celantiam, Auguſtin. ep. CCXXVII. ap. Grat. can. VI. C.* 33. *q.* 5. (d) *Cap. III. ex. de converſ. conjug.*

vel ambo monaſticam vitam debent profiteri, vel ſi nulla ſubſit incontinentiae ſuſpicio, poteſt alter promiſſa caſtitate in ſaeculo remanere (*a*). At vir ſi legitime epiſcopus conſecretur; uxor omnino videtur ingredi debere monaſterium (*b*), ut ita omnis ſuſpicio incontinentiae, quae in epiſcopum redundaret, tollatur.

Variis cauſſis conjuges toro & habitatione ſeparantur.

§. XIV. Quamvis autem matrimonium ratum & conſummatum ex Latinae eccleſiae ſententia, quod ſpectat ad vinculum, non dirimatur; tamen multae ſunt cauſſae, quibus conjuges inviti toro & cohabitatione divertunt, ſive perpetuum, ſive ad tempus. Praecipua divortii partialis cauſſa eſt alterutrius conjugis voluntarium adulterium, nec enim jure canonico melior in hac cauſſa eſt viri conditio (*c*): quo diſtamus a moribus Romanis, quibus viro licebat uxorem adulteram dimittere: at idem jus uxori non dabatur. Quin debet maritus uxorem adulteram, niſi poenitentiam egerit, dimittere (*d*): patronus enim turpitudinis videtur eſſe, qui peccantem non dimittit. Poſt poenitentiam vero poteſt maritus dimiſſam recipere & maritali affectu retinere, ſed non cogitur (*e*): immo poteſt ſine ejus conſenſu vitam monaſticam profiteri, vel ſacris ordinibus ini-

---

(a) *Cap. IV. & VIII. ex. eod.* (b) *Conc. VI. can. XLVIII., cap. VI. ex eod.* (c) *Hieronym. ep. XXX. ad Ocean.* (d) *Can. IV. & VI. C. 32 q. 1.* (e) *Can. VII. eod., cap. III. ex. de adulter. & ibi gloſſa.*

initiari (*a*): adulterio enim admiſſo conjux cadit jure in alterius corpus quaeſito. Quod ſi maritus etiam adulter ſit, aut ipſe uxorem proſtituerit, nequit uxorem adulteram dimittere (*b*): quemadmodum nec eam dimittet, ſi poſt adulterium admiſſum & a ſe cognitum rei uxoriae vacaverit: cenſetur enim injuriam remiſiſſe. Porro toro & cohabitatione conjuges ſeparantur per alterius conjugis apoſtaſiam aut haereſim (*c*), aut ſaevitiam (*d*), praeſertim ubi inſidiae ad necem deteguntur, aut conjux unus alterum ad mortale peccatum impellat (*e*). Intereſt vero inter ſeparationem ex his cauſſis & eam, quae propter adulterium contingit: etenim haec ſolet eſſe perpetua, illa vero duntaxat ad tempus, durante nempe ſeparationis cauſſa. Quaecumque vero fuerit cauſſa, non proprio arbitrio, ſed ſententia judicis conjuges ſeparantur (*f*).

☞ *Quamvis Tom.* 5. *Sic. Sanct. p.* 450 *in ſupl. ad Tit.* 2. *Tomi I. de Tribunali M. R C. ſtatutum ſit cauſſas ſeparationis conjugum a thoro ad eccleſiaſticum forum pertinere, quod conſonat conſtit. Alexandri III. in cap.* 3. *de divortiis, nova tamen Proregis ſanctione* 22. *Sept. an.* 1779. *hujuſmodi cauſæ laicorum judicio reſervatæ, utpote quæ matri-*

(a) *Cap.* XV. *ſeq. ex. de converſ. conjugat.*
(b) *Can. I. C.* 32. *q.* 6., *cap. IV. ex. de divort.*
(c) *Cap. VI. ex. de divortiis, cap. ult. ex. de converſ. conjugat.* (d) *Cap. VIII & XIII. ex. de reſtit. ſpolitat.* (e) *Cap. II. ex. de divortiis.* (f) *Confer. Eſpen. par. II. tit.* 15. *cap.* 2. *num.* 18. *ſeqq.*

trimonium non tamquam ſacramentum reſpiciunt, ſed uti contractum qui civili ſubjacet poteſtati: vide quae dicenda ſunt in tract. de judiciis.

CAPUT XXXI.

De ſecundis nuptiis.

An polygamia juri naturali adverſetur?

§. I. SEcundae nuptiae dupliciter accipiuntur: etenim vel denotant eum ſtatum conjugalem, quo vir ſimul plures uxores habet, qui ſtatus *polygamia* dici ſolet; vel ſecundas aut tertias nuptias poſt primi aut ſecundi conjugis mortem aut legitimum divortium contractas. Et quod ſpectat ad polygamiam, utrum ea juri naturali adverſetur, anceps quaeſtio eſt. Certe vero familiis & educationi liberorum convenientius eſt, unam habere mulierem: idque natura ipſa duce videtur inductum. Etenim in Europa & frigidis regionibus mares fere aequali numero feminis naſcuntur: & fortaſſe eadem eſt etiam in calidis regionibus inter mares & feminas proportio. Teſtatur quidem Kempferus in hiſtoria Japonica, toto ferme Oriente & calidis regionibus numerum feminarum longe majorem gigni quam maſculorum. Et hinc Monteſquius (*a*), vir ingenii vere magni, exiſtimavit, polygamiam in Aſia & Africa feminarum fecundiſſimis climati convenire: contra vero in Europa etiam cli-

(a) *Monteſq. l' eſprit des loix lib. XVI. chap.* 4.

dimati adversari. At calculos Kempferianos alii non admittunt; certe vero ab aequalitate naturae multum distant, quam ista etiam in bestiis constanter servat. Porro polygamia hominum propagationem & multitudinem non promovet, quin potius est impedimento, quod Premontuallus pluribus probat. In uxorum quoque numero omnes viles sunt, animus multitudine distrahitur, & nulla pro socia habetur, quod non bene familiis convenit. Cui naturali rationi vim addit institutio ipsa matrimonii, in qua Deus voluit, ut vir uxori suae adhaereret, & duo in una carne essent (*a*). Interim & apud Judaeos & apud plerasque gentes polygamia obtinuit (*b*), & nunc etiam in Asia & Africa obtinet. Numquam autem veteris testamenti justis polygamia vitio data est: quin ecclesiae patres docent, tum Dei concessione fuisse opus religionis plures habere filios, ad Christi genus secundum carnem ab omnibus gentibus distinguendum (*c*). Sed apud Romanos numquam permissum duas simul uxores habere: & infamis censebatur, qui retenta prima uxore secundas nuptias attentasset (*d*). Etiam apud Graecos vetita erat polygamia: tantumque in necessitate duas simul uxores Graeci videntur concessisse (*e*).

(a) *Genes. II. 22. seqq.* (b) *Confer. Grotius de I. B. ac P. lib. II. cap.* 5. §. 9. (c) *Augustin. de bono conjug. cap. XIX.* (d) *L. XVIII. C. ad L. Jul. de adulter. Confer. Brisson. de jure connubior.* (e) *Confer Potter. archaeol. lib. IV. cap.* 11.

Polygamia Christi lege interdicta.

§. II. Similiter Christi lege omnino interdicta est polygamia. Christus enim matrimonium revocavit ad primaevam institutionem, qua homo, relictis patre & matre, adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carne una: & hinc moechari ait, eum, qui dimissa uxore, alteram ducat (*a*). Qua doctrina omnino vetita est polygamia: si enim moechatur, qui dimissa uxore alteram ducit, multo magis & ipsa retenta. Porro docet apostolus, virum & mulierem invicem in alterius corpus jus adquisivisse, adeo ut nec vir habeat sui corporis potestatem, sed mulier, & contra (*b*). Nullus igitur inter christianos locus esse potest polygamiae: nam dum vir plures accipit uxores, prior plenum jus in mariti corpus non habet. Quam christianam doctrinam ecclesia semper tenuit, & patres inculcarunt. Sane patres concilii Toletani I. canonem habent, quo edicitur, ut fidelis unam mulierem sive uxorem sive concubinam, ut ei placuerit, adjunctam habeat (*c*): conjunctio tum licita erat concubinatus; erat enim naturale matrimonium cum femina inaequalis conditionis effectibus civilibus omnino destitutum. Nec leges civiles christianorum principum umquam polygamiam permiserunt. Et profecto mera fabella est Socratis (*d*) narratio, Valentinianum Severae conjugis praedicatione in Justinae amorem pellectum, ipsa Severa

vera

(a) *Matth. XIX. 3. seqq.* (b) 1. *Cor. VII.* 4.
(c) *Conc. Tolet. I. can. XVII.* (d) *Socrat. lib. IV. cap.* 31.

vera retenta, cum Justina nuptias contraxisse; & legem porro proposuisse, *ut cuivis liceret duas simul uxores legitimas habere*: quod post Baronium & Valesium Binghamus (*a*) probat.

Secundae nuptiae christianis licitae.

§. III. Altero autem sensu acceptae secundae nuptiae, quatenus scilicet denotant nuptias secundas aut ulteriores legitime soluto priore aut secundo matrimonio contractas, nusquam gentium interdictae sunt. Quid enim mali est, secundam ducere uxorem, ubi nexus cum priore jam solutus est? Id jus etiam apud christianos semper obtinuit: luculenter enim docet apostolus, mulierem viri dormitione nuptiarum nexu liberari & cui vult, nubere posse (*b*). Et profecto vim apostolo fecerunt Montanistae, qui ex novis spiritus sancti revelationibus Montano factis secundas nuptias damnarunt: quam haeresim etiam Novatiani amplexi sunt. Ecclesiae vero doctrinam Hermes (*c*) antiquissimus scriptor proponit, qui docet non peccare conjugem, qui post alterius mortem iterum nubit, at magnum apud dominum consequi honorem, si sine conjuge permanserit. Similiter Tertullianus testatur, apud catholicos nuptias iterari, eoque nomine eos *psychicos*, hoc est carnales & incontinentiae deditos appellat: *Haeretici nuptias auferunt, psychici ingerunt; illi nec semel, isti non semel nubunt* (*d*). Cui doctrinae adhaerens ma-

---

(a) *Bingh. orig. eccles. VI. cap.* 11. §. 5. (b) 1. *ad Cor. VII.*39. , & 1. *ad Timoth. V.* 14. (c) *Hermes past. lib. II. mand.* 4. *n.* 4. (d) *Tert. de monog. c. I.*

gua synodus Nicaena sub ea conditione Novatianos recepit, si cum digamis, hoc est iis, qui secundas nuptias celebrassent, communicarent (*a*). Nec tantum secundas nuptias stricte sic dictas; verum etiam ulteriores ecclesia permittit, quod Augustinus docet (*b*).

Secundae nuptiae patribus invisae.

§. IV. Quamvis autem secundae nuptiae jure evangelico permittantur; tamen antiqui patres eas veluti impuritatis & incontinentiae plenas traduxerunt, & quidem adeo durioribus verbis, ut eas damnare videantur; appellant enim *fornicationem* (*c*), *speciosum adulterium* (*d*), & *honestam fornicationem* (*e*). In trigamos vero & ulteriores nuptias, quod consequens erat, Graeci patres sunt inclementiores: etenim Gregorius Nazianzenus adfirmat, quartum conjugium esse porcinam vitam (*f*): & Basilius M. tertias & quartas nuptias indignas esse ait, quae *mariti & uxoris nomina donent* (*g*). Ex qua doctrina imperator Basilius Macedo quartas nuptias per Orientem omnino irritas fecit. At apud Latinos tertiae & ulteriores nuptiae irritae numquam factae sunt, etsi numerositatis & incontinentiae nota adspergerentur. Itaque synodus Neocaesariensis & Basilius M. publicae peniten-

tiae

(a) *Conc. Nicaen. can. VIII.* (b) *August. de bono viduit. cap. XI.* (c) *Clemens Alexandr. lib. III. stromat.* (d) *Athenagoras legat. pro christian.* (e) *Chrysost. seu auctor operis imperfecti in Matth. hom. XXXII.* (f) *Gregor. Nazianz. orat. XXXI. cap. 3.* (g) *Basil. ep. canon. cap. IV.*

ciae digamos subjecerunt (*a*), non quod secundas nuptias damnarent, sed quod nota incontinentiae jejuniis & orationibus videretur expianda. Nata est detestatio ista secundarum nuptiarum a studio continentiae, quod primis saeculis inter christianos increbuerat: & hinc christiani vel coelibes omnino vivebant, vel monogamiam servabant, quod Minucius Felix & Theophilus Antiochenus testantur (*b*); minus vero perfecti & incontinentes censebantur, qui ad secundas nuptias transibant. Quae incontinentiae macula digamos a canone fecit alienos: qui enim christiano dedicantur sacerdotio, omnino perfecti sint oportet: quamvis temporis lapsu ecclesia Latina ex sacramenti defectu irregularitatem digamorum metita sit (*c*). Ceterum quid mirum si antiquioribus christianis non adeo secundae nuptiae placuerint, quando etiam apud gentes viduitas magni fuit, quod Heineccius (*d*) pluribus demonstrat.

Benedictio secundarum nuptiarum.

§. V. Permissae quidem christianis erant secundae nuptiae, at ex antiquis institutis & apud Graecos & Latinos sacra benedictione non consecrabantur (*e*). Macula incontinentiae, quadi-

(a) *Concil. Neocaesar. can. III.*, *Basil. loc. cit.*
(b) *Minuc. Felix in Octavio cap. XXXI.*, *Theoph. Antioch. lib. III. ad Autolyc.* (c) *Confer. Thomass. de benef. par. II. lib.* 1. *cap.* 78. (d) Heinec. *ad L. Jul. & Papiam. lib. II. cap.* 16. (e) *Conc. Neocaesar. can. VII.*, *Innocent. I. epist. ad Victitr. Rothomag. cap. IX.*, *S. Caesarius serm. CCLXXXIX. in append. oper. S. August.*

digami ex patrum ſententia adſpergebantur, videtur feciſſe, ut eccleſia ſecundo nubentibus benedictionem denegaret. Hinc ſi ſacra benedictio nuptiis ſanctitatem & gratiam conciliabat, videntur ſecundae nuptiae ſacramenti religione caruiſſe. Sed lapſu temporis in utraque eccleſia ſecundae nuptiae benedictae ſunt: idque forte coepit poſtquam Caroli M. & Leonis ſapientis legibus inductum eſt, ut ſacra benedictio ad vim ipſam nuptiarum pertineret. Hinc Ariſtenus Graecus canonum interpres Neocaeſarienſem canonem, quo vetatur presbytero digamorum convivio intereſſe, ex diſciplina ſuae aetatis ita interpretatus eſt, *ſacerdos, qui digamo benedixit, a menſa debet recedere, & non cum eo convivari*. Benedictio autem iſta ſecundarum nuptiarum apud Graecos tantum differt ab ea, quae primo nubentibus datur, quod contineat orationes, quibus Deus exoratur, ut digamis parcat (*a*). At apud Latinos minus ſollemni benedictione extra miſſarum ſollemnia ſecundae nuptiae benedici coeperunt, quando primae nuptiae in publica miſſa ſolemni benedictione donatae ſunt, & adhuc benedicuntur. Et hinc quando poſteriora Latina monumenta adfirmant, ſecundas nuptias non eſſe benedicendas, de ſollemni benedictione intelligenda ſunt. Ceterum ſi Urbanus III. ideo ſecundo nubentes non debere benedici doceat, quod nuptialis benedictio iterari non debeat (*b*); id procul dubio dixit ex ſui tem-

(a) *Confer. Chardon. hiſtoire du mariage chap. IV. art. 2.* (b) *Cap. III. ex. de ſecund. nuptiis*.

temporis disciplina, qua secundarum nuptiarum incontinentia tantum non evanuerat. Recentiores autem rituales edicunt, secundas nuptias non esse benedicendas, praesertim si sint secundae ex parte uxoris, & haec semel benedicta fuerit.

Poenae secundarum nuptiarum intra annum luctus sublatae.

§. VI. Separato per mortem viri matrimonio, licet viduae ex praesenti disciplina absque infamiae nota statim ad secundas nuptias convolare. Jure Romano vetabantur viduae intra annum luctus nubere: eratque annus iste ex antiqua Romuli lege decem mensium (*a*), tum Gratiani, Valentiniani & Theodosii lege duobus mensibus actus est (*b*). Duplici vero ratione ex Romanis institutis anni luctus religionem viduam viro praestare oportebat, ut Harmenopulus (*c*) explicat, *ne semen commisceatur, & propter reverentiam & honorem, quem debet marito*. Tantum viduae maritos, non mariti uxores lugere debebant (*d*), ac proinde statim ab uxoris morte jus erat viro aliam ducere uxorem. Luctus autem anno mulieres nubentes notabantur infamia, nihil capiebant ex testamento & mortis caussa donationibus quorumcumque; amittebant quae eis mariti supremis tabulis reliquissent; nec hereditates ab intestato vel legitimas vel honorarias ultra tertium gradum vindicabant (*e*). Hone-

(a) *Confer. Brisson. de jure connubior.* (b) *L. II. C. de secund. nupt.* (c) *Harmenop. lib. IV. tit.* 6. (d) *L. IX. D. de his qui notant. infam.* (e) *L. I. C. eod.*

nestatis & pudoris plena erat ista juris civilis sanctio, eamque procul dubio christiani pudoris studiosissimi olim servarunt: quin in capitulis Theodori Cantuariensis expresse continetur, ne vidua intra annum luctus nubat (*a*). At jure decretalium mulierem, quae intra annum luctus nubat, nulla manet infamia: idque ex apostoli sententia esse Urbanus III. & Innocentius III. responderunt (*b*). Quamvis haud scio, an apostolus, dum docuit, mulierem viri dormitione nexu nuptiarum liberari, & cui vult, nubere posse (*c*), festinas & infames nuptias permiserit: annus enim luctus publicis legibus pudore plenis statutus erat; & deinde apostolus viduae, exstincto viro, potius cui velit, quam quando velit, nubere permittit. Nec tantum infamia, verum etiam ceterae poenae, quae in odium secundarum nuptiarum decretae erant, ob eamdem rationem hodie sublatae sunt, quod judicatum Antonius Faber (*d*) refert: at stant adhuc leges, quae in favorem liberorum primi matrimonii statuunt (*e*).

CA-

(a) *Theodor. Cantuariens. cap. LXXII.* (b) *Cap. IV. & seq. ex. de secund. nuptiis.* (c) I. *ad Cor. VII.* 39. (d) *Ant. Faber cod. lib. V. tit.* 5. *def.* I. (e) *Confer. Gudelin. de jur. noviss. lib. I. cap.* 12.

CAPUT XXXII.

De ſacroſanctis eccleſiis, & altaribus.

Quo ſenſu eccleſia hoc loco accipitur.

§. I. Eccleſia apud chriſtianos proprie denotat fidelium ſocietatem & conventum; eſt enim vi nominis concio, ſeu convocatio: at per metonymiam ſaepe denotat locum ipſum, in quo chriſtiani conventus agitant ſuos. Hoc loco de eccleſiis poſteriori ſenſu agemus, ac proinde eccleſia eſt aedificium cultus divini peragendi gratia exſtructum, & ſollemni ritu conſecratum, aut ſaltem benedictum. Scilicet proprius & verus Dei cultus eſt, ut eum in ſpiritu & veritate adoremus; at chriſtiana religio habet etiam cultum externum, qui in ſacramentorum adminiſtratione, ſacrificiis & communibus precibus poſitus eſt, ſpectatque ad internum cultum promovendum. Hinc chriſtiani ſemper conventus ſuos celebrarunt, ad ſuae religionis exercitia peragenda. Et ſpecialiter divino cultui loca conſecrarunt, ut eo fortius ad pietatem excitarentur. Opinio de numinis praeſentia religionem intendit, eamque etiam promovet augetque tum aliorum exemplum, tum locus ipſe, ubi omnia ad pietatem compoſita ſunt; homines enim ſic ſunt comparati, ut plurimum ab objectis externis afficiantur.

Varia eccleſiarum nomina.

§. II. Pro locis cultui religionis addictis eccleſiae acceptae pluribus aliis nominibus in an-

tiquis monumentis designantur, idque a variis adjunctis & circumstantiis, secundum quas veteres eas spectabant. Aliquando dicuntur *concilia*, *conciliabula*, *conventicula*: quae voces, non secus ac ecclesia, ipsum conventum vi sua denotant; at ad locum ipsum, in quo concilium conveniebat, translatae sunt. Saepe dicuntur *dominica*, *domus Dei* & *κυριακά*, a Deo nimirum ipso omnium rege ac domino, cui dedicabantur. Quare *dominicum aureum* ecclesia splendidissima fuit, quam Antiochiae Constantinus M. inchoavit, Constantius vero ejus filius perfecit dedicavitque (*a*). Porro a fine ecclesiae *oratoria* & *domus orationis* dictae sunt: quamvis in antiquis canonibus *oratorii* nomine aliquando veniant privata sacella in privatarum familiarum commodum exstructa, in quibus praeter praecipuos festos dies etiam missae celebratae sunt (*b*). Ecclesiae quoque nonnullae *martyria*, *apostolea* & *prophetea* audierunt, illae nempe quae sepulchro aut reliquiis aut memoria alicujus martyris, apostoli vel prophetae decoratae erant. Cujus generis fuit *martyrium salvatoris*, quod in memoriam passionis & resurrectionis Christi in Golgotha monte Constantinus M. excitavit (*c*). Loco martyrii *martyrum memorias* Latini dixerunt (*d*), quasi essent martyrum, qui eo loci passi erant, aut quorum reliquiae ibi condebantur, memoriae & monumenta. Latinis etiam pa-

roe-

(a) *Hieronym. in chron.* (b) *Conc. Agathense can. XXI.* (c) *Euseb. lib. IV. de vita Constant. cap.* 40. (d) *August. de civit. Dei lib. XXII. cap.* 10.

roeciales praesertim ecclesiae *tituli* dicuntur, sive a certis signis & titulis, quibus insigniebantur, sive quod inde nomen suum addicti clerici ducebant, sive a nominibus sanctorum, in quorum memoriam erant dedicatae (*a*). Et post pacem christianis datam saepe ecclesiae dicuntur *templa* & *basilicae*, quae nomina in antiquioribus monumentis hoc sensu vix occurrunt. Erant scilicet templa apud gentes idolis sacra & idololatriae plena, basilicae vero aedes amplae in usum publicum extructae: quae longe distabant ab ecclesiis christianorum uni Deo sacris & paupere aedificio extructis. Sed inde eversa idololatria & multis idolorum templis & basilicis in ecclesias christianorum conversis ecclesiastici scriptores *templi* & *basilicae* nomina passim usurparunt.

Primo saeculo christiani non habebant ecclesias.

§. III. Jam vero an christiani semper habuerint proprias ecclesias, hoc est loca cultui propriae religionis addicta, & a ceteris promiscui usus locis separata, inter doctos non convenit. Passim tradunt theologi nostri, ecclesias ab ipsa apostolorum aetate originem habuisse: quam sententiam edito peculiari opere Jo. Medus Anglus pluribus probavit: cujus tractatus veluti compendium Binghamus dedit, qui & propria argumenta in eamdem sententiam addidit (*b*). Contra Vedelius, Suicerus, Boëhmerus aliique contendunt, christianos primis ferme tribus saeculis

 non

(a) *Canfer. Congius v.*titulus. (b) *Bingh. orig. ecclesiast. lib. VIII. cap.* 1. §. 13. *seqq.*

non habuisse proprias ecclesias, quae speciali ratione Deo dicarentur, essentque commerciis aliis exemtae (*a*). In hac opinionum discrepantia illud magis placet, toto ferme primo saeculo christianos ecclesiis caruisse: quod Hieronymus a Costa etiam docet (*b*). Sane ipsi apostoli & primi christiani ex Judaeis in templo Hierosolymitano & synagogis orabant (*c*): & praeterea sacris propriis vacaturi conveniebant in oratoria domestica (*d*), quae apud Judaeos erant coenacula in parte aedium superiori ut plurimum adornata in privatum pietatis exercitium. Initio christiana religio veluti Judaismi secta reputabatur, ac proinde facile patiebantur Judaei, christianos ex sua gente in synagogas & coenacula convenire. Et qui christiani ex gentibus erant, sacra sua in privatis oratoriis & coenaculis agitabant. Adde quod in scriptis apostolicis nullum apertum exstat testimonium, quo constet, christianos eo tempore proprias ecclesias habuisse: & quamvis multi ex patribus in verbis apostoli, *numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis* (*e*), conventus locum invenerint; tamen contextus satis indicat, ecclesiae nomine apostolum christianorum coetum intellexisse.

Eas

(a) *Vedel. exerc. in Ignat. ep. ad Magnes. cap. IV.*, *Suicer. thes. eccles. v.* ναός, *Boëhmer. diss. II. in Plinium & Tertull.* (b) *Hieronym. a Costa histoire des revenus ecclesiastiques*. (c) *Act. II. 46. & cap. XIII. 14. seqq.* (d) *Act. I. 13., II. 1. seq., & V. 42.* (e) 1. *ad Cor. XI.* 22.

Eas vero secundo & tertio saeculo habebant.

§. IV. Verum enimvero secundo & tertio saeculo christiani propria loca cultui religionis addicta habuerunt, vel in domibus privatis locisque abditis, saepe etiam in publicis, si per externam pacem liceret. Sane secundo saeculo ecclesias fuisse Clemens Alexandrinus testatur (*a*): *non enim*, inquit, *nunc locum*, *sed electorum congregationem appello ecclesiam*. Ex quibus verbis constat, ea aetate ecclesiam non tantum coetum, sed locum quoque denotasse. Et recte Medus observat, rem ipsam exstitisse, quando ejus nomen adfuit. Porro Tertullianus (*b*) adfirmat, libidinum furias & in corpora & in sexus ultra jura naturae *non modo limine*, *verum omni ecclesiae tecto* ejectas fuisse. In primis vero ecclesias tertio saeculo christianos habuisse, egregio Lampridii ethnici scriptoris testimonio demonstratur. Locum quemdam, qui publicus fuerat, christiani occupaverant; quem quum sibi deberi popinarii contenderent, Aelius Lampridius refert (*c*), Alexandrum Severum rescripsisse, *melius esse*, *ut quomodocumque illic Deus colatur*, *quam popinariis dedatur*. Quo rescripto non obscure demonstratur, tantum religionis exercitio ejusmodi locum fuisse addictum; ut adeo nulla esse possit Boëhmeri exceptio, qui rei veritate victus adfirmat, christianos quandoque certa & stabilia loca sacris suis destinasse; at

(a) *Clemens Alexandr. strom. VII.* (b) *Tertull de pudicit. cap. VII.* (c) *Lamprid. vit. Alexandr. cap. XLIX.*

at ea non fuisse sacra, nec profanis usibus exemta (*a*). Et ut multa alia mittam, Eusebius (*b*) testatur, in longa illa christianorum pace a Valeriana ad Diocletianeam persecutionem eorum numerum summopere crevisse, ut prisca aedificia ipsos capere non potuerint, ac ideo novas & spatiosas ecclesias in singulis urbibus excitasse. Nec his omnibus dictum illud Origenis, Minucii Felicis, Arnobii & Lactantii obstat, christianos non habere templa nec altaria; nam id eo sensu accipiendum est, talia eos non habuisse, qualia gentes habebant, idolis nempe & idololatriae plena, quod fuse Medus probat.

Ecclesiae auctae & splendidiores factae.

§. V. Illud autem certum est, ecclesias, si quas christiani tempore persecutionum habuerint, fuisse exiguas & simplices, quemadmodum postulare videbatur durus per ea tempora eorum status, quando non multi divites Christo nomen dederant, & christiani magis solliciti erant de vivis Dei templis, hoc est pauperibus alendis, quam de aedibus cultui religionis addictis excitandis. Sed pace christianis data in novam & augustiorem formam ecclesiae coeperunt aedificari: nihil enim amplius oratoriis a publica potestate metuendum erat; & praeterea multi divites ad Christum conversi ad sacras aedes excitandas suarum divitiarum partem impendebant. Praesertim vero ad amplas & magnificas ecclesias ipsi principes christiani facti contulerunt, idque dua-

(a) *Boëhm. cit. diss.* §. 22. (b) *Euseb. lib. VIII. cap.* 1.

duabus rationibus & novarum basilicarum aedificatione, & edictis de templis Deorum in ecclesias convertendis. In vulgus notum est, quot splendidas & aureas ecclesias Constantinus M. e solo excitarit, cujus exemplum deinceps omni aetate imperatores & reges imitati, augustas ecclesias ingenti sumtu aedificarunt. Porro principum edictis deorum templa in Christi ecclesias conversa sunt: idque sub Theodosio M fieri coepit (*a*): nam ab anno Christi CCCXXXIII. templa deorum everti coeperunt. Una cum templis etiam Romanae basilicae (*b*) & aliquae Judaeorum synagogae in ecclesias conversae sunt. Ita tandem vera religio de gentium superstitione triumphavit. Et postquam ecclesiae in augustiorem formam abjerunt, iis *templi* & *basilicae* nomina frequentius tributa sunt (*c*).

Ecclesiae varii generis.

§. VI. Multiplex est ecclesiarum genus, aliae enim sunt *cathedrales*, aliae *collegiatae*, aliae *parochiales*, aliae *conventuales*. Ecclesia cathedralis est, in qua sedes & episcopi cathedra posita est & communis totius dioecesis parochia. Saepe in antiquis monumentis dicitur ecclesia *magna* & *matrix* (*d*), utpote quae tamquam mater reliquarum ecclesiarum, quae sunt in dioecesi, consideratur. Collegiata habet collegium canonicorum, sed non fixam episcopi cathedram. Paro-

(a) *Confer. Jac. Gothof. in l. XXV. C. Th de paganis.* (b) *Ausonius gratiar. actio pro consulatu.* (c) *Confer. Bingham. orig. eccles. lib. VIII. cap.* 1. §. 6. (d) *Cod. Afric. can. XXXIII. & CXXIII.*

rochialis ecclesia est, in qua cura animarum proprie sic dicta exercetur, eamque sub episcopo parochus clericis suis stipatus moderatur. Sed ecclesiae paroeciales aliae sunt matrices & baptismales, aliae paroeciales stricte sic dictae. Matrix ecclesia veluti mater inferiorum titulorum habetur, &. aliquando ea sola habet baptisterium, unde paroeciarum inferiorum incolae baptismum petere debent, & hinc baptismalis dicitur. Scilicet postquam baptisterium parochiis communicari coepit, aliquae etiam sine eo remanserunt, quae proinde ecclesiam baptismalem veluti matrem adgnoscunt (*a*): & quae proprio baptisterio donatae sunt, adhuc debent ecclesiae matri reverentiam & honorem: novae enim ecclesiae paroeciales veluti coloniae veteris ecclesiae reputantur, eique salvus honor debitus relinquitur. Ecclesiae conventuales sunt ecclesiae monachorum & regularium, ita dictae a conventu monachorum, in quorum peculiarem usum primum sunt extructae, erantque in veteri disciplina privata oratoria: tum omnibus patuerunt, & sacra paroecialia minus frequentata sunt.

Minores ecclesiae seu privata oratoria.

§. VII. Species quoque ecclesiarum sunt *privata oratoria*, minores nempe ecclesiae in agris, aut in magnatum domibus, immo etiam in civitatibus extructae, & sacris extraordinariis & privatis addictae. Saepe etiam excitatae sunt in martyrum & sanctorum memoriam & in agris & in urbibus. Hujusmodi minores ecclesiae me-
diis

(a) *Confer. superius dicta cap. VI. §. 8.*

diis saeculis in Latinis monumentis saepe *capellae* dictae sunt, quod nomen factum est a *capa*, seu parva veste B. Martini, quae in oratorio Francici regis servabatur, ut Cangius opinatur (*a*), vel potius a capa, hoc est theca reliquiarum B. Martini & aliorum sanctorum, quae in illo oratorio condita erant (*b*). *Capella* nempe est a *cap* seu *capa*; & *cap* vox Celtica est, quod Leibnitius (*c*) observat, significatque origine sua capitis tegmen & generaliter quodcumque corporis tegumentum, & ampliori sensu rerum pretiosarum thecas & conditoria. Generatim vero capellae ordinarium populi conventum non habent; & in oratoriis rure extructis in usum familiae rusticae antiqui canones sacra liturgica permittunt celebrari, exceptis potioribus festis, quibus in ecclesiam cathedralem aut paroeciam fideles omnes oportebat convenire (*d*) Similiter in domesticis capellis sacra auctore episcopo celebrari canones concedunt (*e*). Et in martyria rure extructa quotannis cum suo episcopo aut parocho christiani confluebant martyrum memorias celebraturi (*f*). Labentibus annis numero creverunt capellae, & lapsa ecclesiastica disciplina etiam in potioribus festis ibi divina officia celebrata, ad quae christiani, relicta paroecia, promiscue convenerunt: at ecclesiae do-

(a) *Cangius glossar. v.* cappella. (b) *Bignonius not. in Marculfum lib. I. cap.* 38. (c) *Leibnit. collect. etymolog. part. II.* (d) *Conc. Agath. an. ICVI. can. XXI.* (e) *Conc. Trullan. can. XXXI.* (f) *Confer. Bingh. orig. eccles. lib. XX. cap.* 7. §. 3.

ctrina manet immutata; etenim etiam hodie vult ecclesia, ut in diebus dominicis & potioribus festis christiani paroecias suas frequentent (*a*). Ceterum minores istae ecclesiae sollemni ritu solent consecrari, nec confundendae cum capellis mobilibus, quae in domibus privatis conceduntur, ubi tantum est altare consecratum.

Capellae regiae.

§. VIII. Inter capellas longe eminent *capellae regiae*, quae *palatinae*, *regales*, *dominicae* & *sacella régis* etiam in antiquis monumentis appellantur. Coeperunt capellae palatinae statim ac imperatores & reges christianam religionem amplexi sunt: moris enim semper iis fuit & in regiis aedibus ecclesias habere, & in expeditiones proficiscentibus tabernacula seu capellas secum deferre, ut utrobique sacris vacare possent (*b*). Quum vero reges varia palatia haberent, in omnibus capellae excitatae sunt; neque enim illi palatia extruebant, nisi adjunctis capellis. Quin etiam in dominicis & propriis fundis ecclesias aedificarunt, quae praerogativis regiarum capellarum saepe donatae sunt. Siculi & Neapolitani reges multas regias capellas habent, sive a se, sive a Longobardis principibus extructas. Regiae capellae in eum finem praecipue inductae, ut ibi in usum regum & totius regiae familiae sacra celebrentur: eisque addicti clerici & presbyteri *capellani palatini* & re-

(a) *Trid. sess. XXII. decr. de observand. in celeb. missae.* (b) *Euseb. lib. IV. hist. cap. 17. & seq.*

regii (*a*) dicti sunt. Principio clerici palatini ab episcopi, ad cujus dioecesim quisque eorum pertinebat, jurisdictione non eximebantur (*b*): & ipsae capellae sine auctoritate episcopi, in cujus paroecia erant, excitari non poterant: quod regum Francorum habent capitularia (*c*). Sed inde regiae capellae & clerici palatini ab episcoporum jurisdictione exemti sunt (*d*), iisque veluti proprius episcopus seu parochus praeest *capellanus major*, qui in antiquis monumentis *abbas*, *capellanus*, *archicapellanus* & *palatii custos* dicitur (*e*). Apud nos jurisdictio *capellani majoris* amplissima est; etenim non solum veluti praelatus proprius est totius regiae familiae, & clericis & cantoribus palatinis praeest; verum etiam ei subduntur ecclesiae omnes regiae & capellani castrenses. Quae jurisdictio assiduo usu quaesita a regibus & pontificibus confirmata est, novissime vero a Benedicto XIV. clarius explicata & aucta.

☞ *Capella D. Petri ab Rogerio I. Siciliae Rege intra Aulam Panormitanam post composita regni negotia, Regiamque Coronam susceptam, extructa, & Collegio Canonicorum insignita, & privilegio Petri Archiepiscopi Panormitani anno* 1132, *Parochialis Regii Palatii Ecclesia constituta est. Cumque ex fundationis lege eum Rogerius*

T 2 *suo*

(a) *Confer. Cangius v.* capellani. (b) *Thomass. de benef. par. I. lib.* 2. *cap.* 111. *n.* 5. (c) *Cap. reg. Franc. lib. V. cap.* 182. (d) *Cap. XVI. ex. de privileg. Confer. Thomass. loc. cit. cap.* 112. *n.* 6.
(e) *Cangius in glossar. v.* capellani.

suo suorumque successorum juri ac potestati penitus reservaverit, non alium a sui exordio legitimum Pastorem excluso prorsus Ordinario loci, agnovit, nisi quem Reges Capellanum majorem arbitrio illi tribuerent. Eadem fuit conditio cæterarum Regiarum Capellarum Regni, quæ natura loci juxta illorum temporum disciplinam juri Principis adscribebantur. Unde liquet, quam late patuerit Capellani Majoris dignitas & auctoritas dum ea in omnes Regias Capellas se protenderetur, ut non alium Clerici ac Ministri illarum Præsulem & Antistitem in rebus sacris; non alium in rebus civilibus Judicem competentem haberent. Sed immutato rerum statu varias pro temporum ratione passa est vices Regni Capellania major. Primò siquidem Beneficio S. Luciæ adnexa sic fuit, ut amplissima illius jurisdictio intra hujus Parœciæ fines coarctaretur. Qua tempestate Episcopi omnes Diœcesani legationem potissimum Apostolicam, quam ipsis Concilium Tridentinum indulgebat; obtendentes in Regias Capellas violentas manus injecere. Deinde per concordiam Alexandrinam Regiæ Monarchiæ Tribunali constituto in Regiæ Monarchiæ Judicem Capellani majoris nonnulla jura translata sunt. Quæ causa fuit, ut Caroli Borbonii diplomate Regiæ Capellæ Oppidi Calaxibetæ Ordinarius ille Præsul constitueretur. Postremo cum eamdem vellet in palatinam Capellam Regiæ Monarchiæ Judex exercere jurisdictionem, asperrimaque lis inter ipsum, Archiepiscopumque Panormitanum exinde effervesceret; (vide scripta hac de causa edita) Rex Ferdinandus occasione petitionis sibi factæ a Magistratu & Populo S. Luciæ pro Capella-

ni

ni majoris dignitate Abbati suo tribuenda, sanxit, ut idem intra suæ Diœceseos limites istiusmodi munus obiret, reservato attamen sibi jure & auctoritate illud conferendi per totum Siciliæ Regnum, cui sibimet videretur. Quo factum est, ut res in suspenso maneret, & ab Regiæ Monarchiæ Judice forensis quidem jurisdictio in omnes Regios Capellanos utpote exemptos, non item Episcopalis, in omnes Regias Capellas, dempta Ecclesia ac Diœcesi Caluxibetæ, hodie exerceri possit.

Novae ecclesiae aedificatio.

§. IX. Cujuscumque vero generis ecclesia sit, eam aedificare non licet sine episcopi, in cujus dioecesi extruitur, consensu & auctoritate (*a*). Nihil ad religionem pertinens inconsulto episcopo adgredi fas est. Adsensum vero non praestet episcopus nisi praevia caussae cognitione constet, non ex turpi quaestu, sed ex justa caussa ecclesiam aedificari (*b*). Plures novarum ecclesiarum possunt esse caussae; nova vero paroecia in primis concedenda, si fidelis populus numero auctus sit, aut si ob locorum distantiam sive difficultatem sine magno incommodo ad percipienda sacramenta & divinum cultum exercendum ad paroeciam non potest convenire (*c*). Sed aucto fideli populo non novae paroeciae fundatione, sed adjunctis parocho aliis sacerdotibus curam animarum exercendam Tridentini pa-

(a) *Conc. Chalced. can. IV., Justinian. novel. LXVII.* (b) *Can. X. D. 1. de consecrat.* (c) *Cap. III. ex. de eccles. aedific.*

patres statuunt (*a*). Privata vero oratoria in publico loco conceduntur facilius etiam ad custodiam reliquiarum, modo eorum caussa fideles a pastore suo non multum distrahantur. Ubi vero novae ecclesiae idonea subest caussa, tum episcopus adsentiatur, si satis ei donatum sit ad alendum ministerium & religionis cultum exercendum, quod Justinianus statuit & canonibus suis ecclesia confirmavit (*b*). Ipse aedificans tenetur congruis reditibus ecclesiam augere; novae vero paroeciae congrua portio ex antiquae proventibus est attribuenda (*c*). Quin etiam concilii Tridentini decreto jus est episcopis, si necesse fuerit, populum cogere ad alendum novae paroeciae rectorem; sed hoc decretum, quod imperium episcopis tribuat, nec apud nos receptum est. Et quo omnia recte fiant, ante aedificationem audiendi, quibus nuntiandi novi operis jus est. Praestito ab episcopo adsensu nova fabrica non inchoanda, nisi aut ipse aut ejus jussu alius sollemnes preces in loco faciat, & crucem humi defigat (*d*).

☞ *Quod antiqui Christiani Imperatores sanxerunt, Ecclesias, & Monasteria non posse noviter edificari nisi Principis adesset auctoritas, ut videre est in Codicibus Theodosiano, & Justinianeo, sapientissimus olim noster Rex Carolus Borbonius ad generalium Comitiorum petitionem in nostro Regno observari præscripsit, vetans ne Conven-*

(a) *Trid. ses. XXI. de ref. cap* 4. (b) *Cit. novel. LXVII., can. IX. D.* 1. *de consecr.* (c) *Trid. loc. cit.* (d) *Novel. CXXXI. cap.* 7., *cit can. IX.*

ventus, Monasteria, Ecclesiæ aliaque loca pia fundentur noviter, ac ædificentur neve jam fundata, ac ædificata & amplientur nisi habito Regis adsensu. Momenta vero quæ Regis animum ad prædictam constitutionem edendam impulere, habentur in Cap. 4. Capitulorum ipsius Caroli, ne scilicet aucto Ecclesiarum numero personarum Ecclesiasticarum iisdem inservientium numerus augeretur; ex quo non lævia sustineret incommoda civilis societas, vectigalibus illorum favore imminutis, publicorumque tributorum onere solis laicis reservato. Consule T. 2. Cap. Regni Siciliæ p. 419. & seq.

Forma & situs ecclesiarum.

§. X. In extruendis ecclesiis curabant veteres, ut apta forma & convenienti situ ponerentur. Et forma quidem erat oblonga navi similis, situs vero ut ecclesiae frons seu praecipuus introitus Occidentem, & sanctuarium Orientem spectarent. *Aedes sit oblonga ad instar navis, ad Orientem conversa*, inquit auctor constitutionum apostolicarum (*a*). Et Paulinus testatur, morem fuisse usitatiorem, ut basilicae prospectus esset ad Orientem (*b*). Etiam gentes id saepe servarunt, ut templorum suorum frons soli occidenti esset obversa, teste Vitruvio (*c*). Ideo vero Orientem versus ecclesiae poni solebant, quod christiani precaturi se vertebant ad Orientem. Verum forma & situs iste usitatior quidem fuit, at non semper servatus: ete-

(a) *Const. apost. lib. II. cap. 57.* (b) *Paulin. ep. XII. ad Sever.* (c) *Vitruv. lib. IV. cap. 5.*

etenim & quavis forma & quocumque situ positas ecclesias exhibent antiqua monumenta (*a*). Nimirum saepe necessitas & loci opportunitas aliaque adjuncta variarum figurarum & diversi situs positas ecclesias pepererunt. Et deinde ubi templa deorum & basilicae in ecclesias versa sunt, quî situs & figurae ratio haberi poterat? Etiam nono saeculo receptior usus ecclesias Orientem versus constituebat (*b*). Sed recentior disciplina retinuit quidem oblongam ecclesiarum formam, at situs vix ullam rationem habuit, desueto praesertim veteri more orandi Orientem versus.

Ecclesiae narthex.

§ XI. Jam vero ecclesiae praesertim ampliores pluribus partibus constant, quarum aliae interiores sunt & parietibus includuntur, aliae exteriores. Ex veteri disciplina partes interiores erant νάρθηξ, ναὸς & βῆμα *narthex* seu *ferula*, *templum* & *sanctuarium*. Et νάρθηξ quidem seu *ferula* aedificium erat oblongum & angustum e transverso ecclesiae frontis sub ingressum constitutum, a qua forma *narthecis* nomen accepit; ut enim Suicerus & Cangius observant, figura quaevis oblonga sive dromica Graecis *narthex* dicebatur. Tempore sacrarum lectionum & praedicationis in hac parte consistebant infideles portis viciniores, inde haeretici & catechumeni & poenitentes *audientes* dicti, qui omnes missae cate-

(a) *Confer. Bingham. orig. eccles. lib. VIII. cap. 3. §. 1. seq.* (b) *Walfrid. de eccles. ritib. cap. IV.*

techumenorum institutioni omnium inservienti, poterant interesse (*a*). Quod si in veteribus monumentis plures nartheces ecclesiae aliquando tribuantur; nartheces istae ferme erant porticus exteriores ad latera & frontem ecclesiarum ad instar narthecis efformatae (*b*).

Ecclesiae navis *ejusque usus*.

§. XII. Post narthecem sequebatur altera ecclesiae pars ναὸς *templum* & *navis* dicta. Navis a narthece repagulis ligneis separata erat, patebatque aditus in navem per portas, quas recentiores Graeci scriptores πύλας ὡραίας & βασιλικὰς, *portas speciosas* & *regias* appellant. In hoc loco excipiebantur primum poenitentes *substrati* dicti, inde *consistentes*, deinceps fideles, qui precum & oblationis erant participes, servata sexus & ordinis distinctione, nam viri a mulieribus, virgines a nuptis, monachi a saecularibus separati erant (*c*). Parietibus ligneis loca masculorum & mulierum ut plurimum distinguebantur: quod propter corruptos mores inductum Chrysostomus conqueritur (*d*). Et in nonnullis ecclesiis feminae excipiebantur in solariis, quae erant porticus in altum navis ecclesiae elaboratae. Hinc porticus istas Evagrius & Paulus Silentiarius ὑπερῷα *solaria*, sive *porticus superiores* appellant. Dicebantur etiam κατηχούμενα (*e*), quod mu-

(a) *Conc. Carthag. IV. can.* 84. (b) *Confer. Cangius com. in Paulum Silentiar.* (c) *Confer. Cabassut. in diss. de veter. ecclesiar. situ & partib.* (d) *Chrysostom hom. LXXIV. in Matth.* (e) *Novell. LXXIII. imper. Leonis.*

mulieres eo loci divinos sermones & hymnos auditu exciperent, quod Cangius (*a*) recte observat. Erat autem in navi *ambo*, alio nomine *pulpitum* & *tribunal* dictus, locus nempe editus lectoribus ad legendum, & cantoribus ad canendum & moderandam psalmodiam addictus. In veteri disciplina *chorus* ab ambone non videtur fuisse diversus: etenim in choro clerici cantores canebant (*b*): tantum in Gallicanis & nonnullis aliis Latinis ecclesiis chorus erat in sanctuario proxime post cancellos, quando apud Graecos ambo extra sanctuarium erat, quod Mabillonius observat (*c*). Ex ambone episcopos & presbyteros olim conciones habuisse cardinalis Bona adfirmat (*d*); at mos iste peculiaris quarumdam ecclesiarum fuisse videtur: ut plurimum enim episcopi ex gradibus altaris concionabantur, quod Valesius (*e*) observat.

Pars ecclesiae sacratior sanctuarium.

§. XIII. Tertia ecclesiae pars *sanctuarium* erat, quod alias Latinis *sacrarium* & *tribunal*, Graecis vero ἅγιον *sanctum*, ἱερατεῖον *sacrarium* & βῆμα, quasi locus eccelsior, dicebatur. Cancellis quibusdam ab ecclesiae navi separabatur, eaque excelsius erat. Penitior & sanctior ecclesiae pars erat sanctuarium, & tempore sacrae liturgiae ad epi-

(a) *Cangius com. in Paulum Silentiar.* (b) *Conc. Turonense II. can. 4. Confer. Grancolasius l'ancien. sacramentaire part. I. p. 21.* (c) *Mabillon. de liturg. Gallic. lib. I. cap. 8.* (d) *Bona lib. II. rer. liturg. cap. 6. n. 3.* (e) *Valesf. in Socrat. lib. VI. cap. 5.*

piſcopum, presbyteros & diaconos pertinebat (a), reliquis omnibus erat inacceſſum. Etenim ſoli diaconi miniſtrabant altari, ceteri vero inferiores clerici in aliis eccleſiae partibus ſua obibant officia. Et laici quarto & ſequentibus ſaeculis ne ad euchariſtiam quidem percipiendam ſacrarium ingrediebantur (b). Soli imperatori ex laicis licebat eo loci intrare ad munera offerenda (c): deſuevit enim mos etiam Conſtantinopoli, ut imperatores ſacrae liturgiae tempore intra ſepta ſanctuarii conſiſterent, poſtquam Ambroſius ipſum Theodoſium M. inde excluſit (d). Hinc iſta eccleſiae pars Graecis ἄβατα & ἄδυτα, Latinis vero *adyta* & *inacceſſa* dicta eſt. Tanta adytorum religio & ordinem in eccleſia neceſſarium fovebat, & rebus ſacris ſanctaeque liturgiae majorem conciliabat reverentiam. Sed non omni tempore, nec in omnibus eccleſiis eadem adytorum religio obtinuit. Nam tribus ferme primis ſaeculis laici ipſi ad altare euchariſtiam accipiebant (e): & in eccleſiis Gallicanis etiam ſaeculo ſexto *ad orandum & communicandum* laicis & feminis patebat ſanctuarium, ut concilium Turonenſe II. loquitur (f). Et male poſt alios Eſpenius (g) opinatur, *ad communi-*

 ni-

(a) *Morin. de poenit. lib. VI. cap.* 1. *n.* 10. (b) *Conc. Laodic. can. XIX.*, *conc. Bracar. I. can. XXXI.*

(c) *Conc. Trullan. can. LXIX.* (d) *Sozomen. lib. VII cap.* 25. (e) *Confer. Valeſ. in Euſeb. lib. VII. cap.* 9. *& Grancolas l' ancien ſacramentaire par. I. p.* 309. *ſeqq.* (f) *Conc. Turonenſe II. can. IV.*

(g) *Eſpen. part. II. tit.* 16. *cap.* 1. *n.* 37.

nicandum laicis sanctuarium patuisse, non ut ad eucharistiam sumendam accederent, sed ut extra illud existentes eam sumerent.

Altare in medio sanctuario.

§. XIV. In medio sanctuario altare collocatum erat, quod divino sacrificio peragendo inserviebat. Altare autem in antiquis monumentis alias appellatur *ara*, *mensa sacra*, *mystica*, *tremenda* & *sanctum sanctorum*. Erant altaria primis saeculis ferme ex ligno, quarto vero saeculo lapidea esse coeperunt, ac demum cautum, ut tantum ex lapide fierent (*a*): quin pace ecclesiae data in magnis ecclesiis saepe auro argentove inclusa sunt. Eorum structurae diversae fuerunt, nam vel uni vel duobus vel quatuor columnis mensa lapidea superjacebat, alia vero altaria quadro imposita aedificio tumuli formam referebant, tamquam martyrum sepulcra (*b*). Quaecumque vero esset structura, sic poni solebant, ut sacerdos celebrans facie ad populum conversa staret: quo situ pleraque adhuc Romae altaria visuntur (*c*). Imminebat ut plurimum altari *ciborium* seu *umbraculum*, ut in ordine Romano appellatur. Erat ciborium turrita aedicula, quatuor ad minimum columnis innixa, qua totum altare tegebatur (*d*). Ex columnis pendebant vela, seu cortinae, Chrysostomo ἀμφίθυρα dictae, quae extra tempus sacrificii altare ope-

(a) *Conc. Epaonense can. XXVI.* (b) *Confer. cardin. Bona lib I. rer. liturg. cap.20. n.* 1. (c) *Confer Cabassut. dissert. de veter. eccles. situ n. IX.* (d) *Confer. Cangius com. in Paulum Silentiar.*

operiebant, tempore vero oblationis trahebantur, ut altare & sacrificium ab omnibus videretur. *Quando videris*, inquit Chrysostomus (*a*), ἀνελκόμενα τὰ ἀμφίθυρα *trahi vela, tunc superne caelum aperiri cogita & angelos descendere*. Et miror profecto Binghamum (*b*) verba ista ita interpretari, quasi dicant, obducta vela ad occultandum tempore oblationis ipsum sacrificium, quum contra potius indicant, reducta & aperta vela, ut sacrificium a fidelibus videretur. In medio altari crux quinto saeculo jam erat imposita (*c*); & sub cruce in ecclesiis, quae eucharistiam pro infirmis in altari servabant, pyxis seu vasculum ad eam continendam erat (*d*). Cui usui inserviebant in aliis ecclesiis columbae aureae argenteaeve in medio altari suspensae; quod Grancolasius pluribus illustrat (*e*).

Numerus altarium.

§. XV. Unum autem in una ecclesia ex veteri disciplina erat altare, non plura, idque ad sacerdotii unitatem indicandam, quod Schelestratus & Habertus pluribus probant (*f*). Hinc *unum altare, unus episcopus*, notus est Ignatii martyris aphorismus (*g*). Una ferme missa in una ecclesia primis saeculis celebrabatur, & quidem ab episcopo, cui ceteri presbyteri concelebran-

(a) *Chrysost. hom. III. in Ephes.* (b) *Bingham orig. eccles. lib. VIII. cap. 6. §. 8.* (c) *Sozomen. lib. II. cap. 3.* (d) *Conc. Turonense II. can. 3.* (e) *Conf. Grancolas l' ancien sacramentaire part. I. p. 203 seqq.* (f) *Schelest. conc. Antioch., Habert. archierat.* (g) *Ignat. martyr. ep. ad Philadelph. n. IV.*

brantes aderant. Et si ob populi necessitatem iterum iterumque celebrandum esset, non multa altaria erant necessaria: nam eodem tempore in eadem ecclesia duae aut tres missae non videntur celebratae, in quibus christianus populus in duos tresve coetus distractus esset. Sub finem saeculi sexti apud Latinos in una ecclesia plura altaria esse coeperunt (c), qui usus sensim crevit, adeo ut initio saeculi noni canones Gallicani numerum altarium cohibuerint (d). Fortasse ecclesiae plura altaria habere coeperunt, postquam placuit, ne uno die duae missae in eodem altari dicerentur: quod concilium Antissiodorense anno IϽLXXVIII cavit (e). Ceterum recens Latinorum disciplina altaribus abundat, eaque ad utrumque ecclesiae latus posita recitandis privatis missis, quae supra modum numero auctae sunt, inserviunt. Sed Graeci perseverant adhuc in antiquis institutis, ac in una ecclesia unum habent altare, nec fas esse putant intra septa ejusdem templi sacrum eadem die iterare; quamvis extra ecclesiam habeant oratoria, quae *parecclesiae* ab ipsis dicuntur, ubi diebus ferialibus missas faciunt, quod Goarius refert (f).

Altaria mobilia.

§. XVI. Et haec quidem spectant altaria fixa & immobilia, verum sunt alia mobilia, *ta-*

bu-

(a) *Gregor. M. lib. V. ep.* 50. (b) *Confer. Grancolasius l' ancien sacramentaire part. I. pag.* 45. (c) *Conc. Antissiodor. can. X.* (d) *Goar. not. in Euchologium.*

bulae itinerariae in ordine Romano dicta, quae constant sola lapidea tabula de more ab episcopo consecrata. Circa octavi saeculi initium altaria ista inducta videntur, quod Thiersius (*a*) recte observat; eorumque institutioni caussam fortasse dedit nova tum regula, ut sacrificium nisi in altari consecrato non fieret: contingebat enim extra ecclesias, ubi erant altaria consecrata, missas debere celebrari; ante enim si talis casus eveniebat, diaconorum manus loco altaris inserviebant. Ergo nova inducta disciplina episcopi iter facientes altaria secum deferebant, eaque presbyteros suos habere Hincmarus Rhemensis inculcabat (*b*), ut in ecclesiis nondum consecratis, & oratoriis, quae consecrari non solebant, possent missas facere. Immo saeculis sequentibus passim presbyteri & mendicantes a sede apostolica, vel ab episcopis mobilia altaria impetrarunt: & hinc missae passim in locis privatis nec tanti mysterii dignitati convenientibus celebratae. Graeci altaria mobilia non habent, sed eorum loco usurpant *antimensia*, quae sunt panni quidam altarium ritu consecrati, quibus loco mensae seu altaris a multis saeculis ecclesia orientalis utitur, si sacram liturgiam in altari non consecrato celebrari contingat, ut Balsamon testatur (*c*). Ceterum in ecclesia Latina statuerunt Tridentini patres, ne episcopi patiantur extra ecclesias & ad divinum cultum dedicata ora-

(a) *Jo. Baptista Thiers. de principuis altarib. cap. II.* (b) *Hincm in capitulis.* (c) *Balsamon in can. XXXI. conc. Trullani.*

oratoria missas celebrari (*a*): quo decreto abolita esse privilegia altarium mobilium presbyteris & mendicantibus concessa passim monent canonistae.

Sedes episcopi & presbyterorum in interiore bematis parte.

§. XVII. Praeter intermedium altare in sanctuario parva alia mensa erat, quam Graeci πρόθεσιν appellant; in qua dona praeparabantur. Et ad interiorem apsidem seu circuitum in superiori pariete episcopi & presbyterorum throni, seu sedes conjunctim dispositae erant, semicirculum efficientes. Sedes episcopi erat in medio e regione altaris & sublimior, velamine quodam cooperta, ad denotandam episcopi dignitatem, adeo ut sedens episcopus & altare & populum recta prospiceret, sedes vero presbyterorum erant ad utrumque latus, sed depressiores. Hinc Athanasius (*b*) episcopi & presbyterorum sedes appellat θρόνον καί συμψέλλια *thronum & subsellia*. Et Nazianzenus (*c*) de presbyteris tamquam splendido ecclesiae senatu loquens, eorum sedes *thronos secundos* appellat. Latinis vero thronus episcopi usitatius *sedes* & *cathedra* dicitur. Conjunctae autem erant episcopi & presbyterorum sedes, quia ex veteri disciplina episcopi & presbyteri senatum seu presbyterium ecclesiae constituebant, in quo ecclesiastica negotia tractabantur. A forma vero & dispositione sedium ali-

(a) *Trid. sess. XXII. in decreto de observand. in missae celebrat.* (b) *Athanas. epist. ad Solitar.* (c) *Nazianz. carm. Jambic. XXIII.*

aliquando veteres presbyterium appellant *spiritualem coronam* (*a*) & *ecclesiae coronam* (*b*): eratque corona ista illustrior ecclesiae pars, in qua vis christiani sacerdotii residebat.

Ecclesiae atrium.

§. XVIII. Extra ecclesiam stricte sic dictam erant alia aedificia, quae ad ipsam ecclesiam pertinebant, & aliquando etiam ecclesiae nomine veniunt; sepimento enim & intervallo quodam antiquae ecclesiae donabantur, in quo aedes multae ad usum ecclesiasticum erant exstructae. Ante ecclesiae fores quadratum aedificium erat, sed inferioris situs quam ecclesia, per quod aditus in ipsam patebat. Hujus aedificii medium sub dio erat, & atrium sive impluvium efficiebat a qua parte totum aedificium *atrii* nomine liceat appellare, interiores vero partes porticus habebant columnis suffultas. In medio atrio erant aquae salientes, seu putei & canthari, seu conchae, seu alia aquarum receptacula. Scilicet christiani ecclesiam ingressuri manus & ora lavabant (*c*): quum eucharistiam corporis Christi manibus exciperent (*d*), ad eorum officium certe pertinebat, ut lotis manibus accederent. Horum fontium loco successere, quae in templorum valvis exponi solent, lustrales undae, quod Cangius adnotat (*e*): nec enim ad eucha-

(a) *Ignat. Martyr. ep. ad Magnes. n. XXIII.*
(b) *Const. apostol. lib. II. cap. 28.* (c) *Euseb. lib. X. cap. 4., Paulin. ep. XII. ad Sever. Confer. Cangius com in Paulum Silent.* (d) *Confer. Morin. de sacr. ordinationib. part. III. exerc. 12. cap. 3.* (e) *Cangius loc. cit.*

ristiam excipiendam necesse est, ut manus abluantur. Ceterum in his porticibus aut atrio poenitentes *flentes* dicti stetisse videntur, ut fidelium in ecclesiam introëuntium preces expeterent (*a*): eoque loci etiam stabant pauperes stipem emendicantes; vetus enim disciplina non patiebatur, ut pauperes in ipsa ecclesia eleemosynam peterent, ne sacra agentibus Deumque precantibus molesti essent (*b*).

Ecclesiae exedrae.

§. XIX. Cetera extra ecclesiam aedificia generaliter *exedrarum* nomine veniebant. Exedra locus erat plures habens sedes: atque hinc aedificia omnia circum ecclesiam *exedrae*, quasi loca sessionis & quietis, dicta sunt (*c*). Pars exedrarum erat baptisterium, aedificium nempe satis amplum ecclesiae adiacens, in quo erant aquarum receptacula ad dandum statis temporibus baptismum (*d*). Inter exedras erat etiam *secretarium* seu *vestiarium*, Graecis dictum διακονικόν, aedificium nempe vasis & indumentis sacris asservandis addictum. Alias dicebatur *salutatorium* (*e*) & *receptorium* (*f*), quia moris fuit episcopis ante missarum celebrationem in eo sedere, & salutationes fidelium excipere, qui se eorum orationibus commendabant, aut aliquod iis nego-

tium

(a) *Basilius M. can. LVI. & LXXV. Confer. Cabassut. dissert. de veter. eccles. situ n. II.* (b) *Confer. card. Bona rer. liturg. lib. I. cap. 20. n. 5.* (c) *Confer. Vales. in Euseb. de vita Constant. lib. III. cap. 51.* (d) *Confer. superius dicta cap. VI. §. 7.* (e) *Greg. M. lib. IV. ep. 54.* (f) *Sidon. Apollin. lib. V. ep. 17.*

tium aperiebant (*a*). *Pastophoria* etiam ecclesiae adjacentia aedificia erant, sed recte videtur Binghamus (*b*) observare, ea non peculiare aedificium fuisse, sed potius generale nomen, quo omnes exedrae denotabantur: auctor enim apostolicarum constitutionum pastophoria sic describit, quasi essent aedificia ab utroque ecclesiae latere ad Orientem exstructa (*c*). In exedris erant bibliothecae, quas in celebrioribus ecclesiis in usum clericorum episcopi colligebant; & scholae omnium eruditioni positae, quibus in nova disciplina *seminaria* successerunt; & domus clericorum aliaque in usum ecclesiasticum comparata aedificia.

Cura diaconici cujus erat.

§. XX. Secretario seu vestiario praeerant diaconi, qui vasorum sacrorum, utensilium & rerum pretiosarum, quae eo loci reponebantur, curam gerebant, & ab iis etiam *diaconici* nomen derivatum est. At praecipuus diaconici inspector & custos aliquis presbyter plerumque fuit, qui a Graecis σκευοφύλαξ & κειμηλιάρχης (*d*), a Latinis vero posteriobus *sacrista* dictus est; exstatque in decretalibus titulus *de officio sacristae*. In nova disciplina Latini plerumque *thesaurarium* & *sacristam* confundunt; at olim thesaurarii officium sacrorum vasorum custodiam non continebat: *ad thesaurarium pertinet*, inquit Isidorus,

 ostia-

(a) *Confer. card. Bona rer. liturg. lib. I. cap.* 24. *n.* 2. (b) *Bingh. orig. eccles. lib. VIII. cap.* 7. *n.* 11. (c) *Const. apost. lib. II. cap.* 57. (d) *Confer. Suicerus v.* σκευοφύλαξ

ostiarii basilicarum ordinatio, incensi praeparatio, cura chrismatis conficiendi, cura baptisterii ordinandi, praeparatio luminariorum in sacrario & sacrificiis. Simplex olim gerebat officium thesaurarius; at inde institutis beneficiis ejusmodi officium in ecclesiis cathedralibus & in collegiatis abiit in beneficium aut dignitatem interdum ex primariis; alicubi vero pristinam meri officii naturam retinet, quod simplicitati vetustatis, cui officia clericorum merae erant obedientiae, magis convenit (*a*).

Ecclesiarum partes in nova disciplina.

§. XXI. Praesens Latinorum disciplina etiam in negotio ecclesiarum a veteri multum distat. Constant apud Latinos ecclesiae ferme duabus partibus interioribus, nave & sanctuario. In sanctuario ex veteri more etiam altare collocatur, & majus dicitur; verum adytorum religio jampridem paene nulla est, & secus altare, dum sacra mysteria celebrantur, etiam feminae accedunt (*b*): quod est contra ordinem in ecclesia necessarium, & divinis mysteriis detrahit. Presbyterium & chorus confunduntur, & ipsi clerici liturgiae tempore in sanctuario locum habent & ministrant. Ecclesiae navis ex utroque latere altaribus minoribus redundat contra morem vetustatis, quae unum altare in una ecclesia adgnoscebat. In navi loca virorum & mulierum parietibus ligneis non distinguuntur, quin po-

---

(a) *Molan. de canonicis lib. II. cap.* 13. (b) *Confer. Christ. Lupus in can. Trullan. LXIX. tom.* 3. *oper. E. V.*

potius in frequentioribus ecclesiis viri mulieribus commisti sacris mysteriis adsistunt, idque in tanta morum corruptione religionis sanctitati plane non convenit, tantumque pristinus mos quodammodo viget in pagorum ecclesiis. Etiam pulpitum in ecclesiae nave hodie est, sed tantum ex eo praedicatores verba faciunt, & raro admodum cantui inservit. In parte ecclesiae inferiori baptisterium collocatum est, quod parvum est aquarum receptaculum, ab exedris in ecclesiam translatum. Paucae sunt ecclesiae, quae habent atrium & plerumque vel omnino tectum, vel prorsus patens, nec in atrio fontes sunt. Habent vero ecclesiae diaconicum sive secretarium, in quo vasa & indumenta sacra asservantur, estque ut plurimum ipsi ecclesiae adhaerens aedificium. Pars etiam nostrarum ecclesiarum est *turris campanaria*, ut vocatur, in qua campanae, quae signum praebent, sacra mox celebrari, collocatae sunt. Campanae pluribus saeculis ignotae, sed jam ante saeculi sexti finem earum sonitu apud Latinos ad divina officia fideles convocabantur, quod Martenius (*a*) probat. Postremo majores ecclesiae & praesertim cathedrales habent adjacentes domus, ubi episcopi aliique clerici iisdem inservientes inhabitant.

Consecrationis ecclesiae minister episcopus.

§. XXII. In ecclesiis aedificatis divina officia ex veteri disciplina vetantur celebrari, nisi prius illae consecrentur, aut saltem benedicantur. Est autem consecratio actus sacer & sollemnis, quo epi-

(a) *Martene de antiq. eccl. discipl. cap. II. n.* 11.

episcopi ministerio per varios ritus & caerimonias ecclesia cultui divino addicitur. Consecrationes istae Latinis etiam dicuntur *dedicationes*, Graecis etiam ἐγκαίνια: dum ecclesiae consecrantur, primum in usum deducuntur: & *dedicatio* & ἐγκαίνια initiationum & primum rerum usum designant, quod summus Mazochius pluribus demonstravit (*a*). Tantum episcopus proprius ecclesiam consecrat, ille nempe in cujus paroecia novus titulus eadificatus est: nec tanta potestate presbyteri donantur (*b*): docentque passim canonistae ecclesiarum consecrationes ordinis episcopalis, non jurisdictionis esse (*c*). Immo ex veteri disciplina ad ecclesiae consecrationem plures episcopi vocari & convenire solebant (*d*), qui praesentia & sermonibus suis augebant sollemnitatem. Hinc occasione dedicationum ecclesiarum frequentes synodi celebratae; qualis est synodus Antiochena anno CCCXLI, inde *in encaeniis* dicta (*e*). Ex nova disciplina non amplius ad ecclesias dedicandas plures episcopi conveniunt, recteque solus proprius episcopus, aut ejus auctoritate alius hoc officium peragit. Interim quousque ecclesia consecretur, benedici potest per presbyterum ab episcopo delegatum, & ita etiam idonea evadit ad divina officia etiam
ad

(a) *Mazoch. de Camp. amphith. cap. III. & ep. de dedic. sub ascia.* (b) *Conc. Bracarens. I. can. XXXVII* (c) *Confer. Barbosa de off. episc. allegat. XXVII.* (d) *Euseb. de vit. Constantini lib. IV. cap.* 43., *Augustin. ep. CCLXIX.* (e) *Confer. Cangius in glossar. v.* encaenia.

ad divinum ſacrificium, modo adſit altare ab epiſcopo conſecratum.

Ritus, quibus eccleſia conſecratur.

§. XXIII. Dedicationes eccleſiarum ſunt antiquiſſimae, at non ſemper iiſdem ſollemnibus ritibus peractae. Quarto ſaeculo magna pompa oratoria dedicabantur, & convenientes epiſcopi variis ſermonibus, hymnis, precibus diem feſtum augebant (*a*): ritu vero Romano etiam ſanctorum reliquiae ſub altari condebantur (*b*). Sed ex nova diſciplina a pluribus ſaeculis apud Latinos inducta multis ritibus abundat eccleſiae conſecratio. Etenim praecedit jejunium, & vigiliae coram reliquiis ſub altari immittendis cantantur: eccleſia exterius ter aqua & ſale benedictis adſpergitur: interius in eccleſiae pavimento alphabetum Graecum & Latinum deſcribitur: altare peculiari ritu conſecratur: item eccleſia interius ter aqua, ſale, cineribus & vino benedictis luſtratur: reliquiae ſub altari conduntur: parietes & duodecim ibi depictae cruces chriſmate unguntur. Qui aliique ritus varias preces & hymnos adjunctos aut interpoſitos habent. Ex his ritibus antiquiſſimus eſt mos ſub altari martyrum reliquias recondendi, iſque ab eccleſia Romana ad alias derivatus eſt. Et recte videtur ſentire cardinalis Bona (*c*), in conſecrandis eccleſiis adhibitas reliquias ab antiquo chriſtianorum more, qui eccleſias excitare conſueverunt ſuper martyrum coemeteria, in quae tempore

pore

(a) *Euſeb. loc. cit. cap.* 45. (b) *Ambroſ. ep. LIV.*
(c) *Bona rer. liturg. lib. I. cap.* 19. §. 5.

pore persecutionum ad sua mysteria celebranda saepe solebant convenire. Ceteri ritus labentibus annis inducti sunt, eorumque aliqui eo spectare videntur, ut dedicatio ecclesiae baptismum adumbret: idque secundum doctrinam patrum, & in primis Augustini, qui allegorico dicendi genere aedificationem & consecrationem ecclesiae, quasi baptismi imaginem depingit (*a*). Sane ex sententia Jvonis Carnotensis trina externae ecclesiae adspersio triplicis in baptismo immersionis sacramentum est, & alphabetum umbra est institutionis catechumenorum, quae baptismum antecedit (*b*). Altare ante saeculum quintum non peculiari consecratione, sed contactu corporis Christi consecratum censebatur, quod Thiersius observat (*c*); at inde peculiaris altarium consecratio recepta est. Ceterum dies consecrationis inter annua festa ecclesiarum celebratur: cujus disciplinae etiam in antiquis monumentis prostant exempla (*d*).

Actus profani procul ab ecclesia.

§. XXIV. Quando ecclesiae per consecrationem cultui divino sunt addictae, plane iis, ut aedibus Deo sacris, tantum ad cultum religionis aliosque actus, qui eo spectant, utendum est, ut ita vere domus orationis dici possint. Itaque profani omnes actus, etsi non illiciti, ab ecclesiis procul esse debent, quales negotiationes, judicia praesertim criminalia, placita, civiles

(a) *August. serm. CCCXXXVI.* (b) *Ivo serm. de sacram. dedicationis.* (c) *Thiersius dissert. de praecipuis altarib. cap. II.* (d) *Sozom. lib. II. cap. 26.*

viles conventus, convivia, ludi theatrales, choreae, cantus lascivi & profana colloquia (a). Et quamvis primis saeculis agapas suas, quae erant convivia caritatis & religionis plena, in ecclesiis christiani agitarint; tamen inde quod in comessationes & ebrietates degenerassent, canones vetuerunt, ne in dominicis fierent (b). Similiter vasa sacra & ecclesiarum utensilia nec in profanos usus possunt adhiberi, quae est antiqua ecclesiae disciplina, nisi necessitas alendi pauperes aut redimendi captivos aliud expostulet (c). Contra ut omnes profanae actiones ab ecclesiis arceantur, ita honorem & reverentiam eis fideles exhibere oportet. Ipsi imperatores ecclesiam ingressuri diadema & custodias ante fores relinquebant, tamquam qui regis regum domum intrarent. Praeterea fideles ecclesiarum januas, limina, columnas, altaria amplecti & exosculari consueverunt in amoris & reverentiae signum.

Quando imagines & statuae sanctorum in ecclesiis receptae.

§. XXV. Quo vero omnia ad religionem & pietatem conspirent, interior ecclesiarum ornatus talis esse debet, qui fideles ad verum cultum & ad christiana officia excitare queat: quo spectant picturae, quibus Christi & sanctorum imagines & egregia scripturarum & virorum pio-

(a) *Conc. Trullan. can. LXXVI., cap. IX. ex. de immunit. eccles., cap. II. eod. in 6.* (b) *Conc. Laodicen. can. XXVIII.* (c) *Confer. Bingh. orig. eccles. lib. VIII. cap. 10. §. 2.*

rum facinora exhibentur. Per tria priora & amplius saecula rarior vel nullus fuisse videtur in ecclesiis sacrarum imaginum usus, quod Petavius, N. Alexander, Christianus Lupus aliique plures docent (*a*). Sacras imagines tum in ecclesiis proponere intempestivum erat, ne christiani potius mutasse simulacra, quam idololatriam reliquisse viderentur. Hinc merito Illiberitanis patribus placuit, *picturas in ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur* (*b*). Coepit usus imaginum sanctorum in ecclesia quarto saeculo, & inde in dies collabente idololatria passim receptus & admissus est. Interim ignotae fuerunt in ecclesia imagines, quibus Deus & sacrosanta Trinitas corporea forma exhibentur. Deum enim utpote immensum & incorporeum figurari non posse veteres tenebant (*c*). Quin ipse Christus ante synodum Trullanam potius agni typo, quam humana forma exhiberi consuevit (*d*). Ceterum sacrosancta Trinitas sub symbolis, quibus divinae personae apparuerunt, expressa est. Sane in templo Paulini Nolae extructo trinitas ita depicta erat: stabat Christus agno, vox patris de caelo tonabat, & per columbam spiritus sanctus fluebat (*e*). Et passim in baptisteriis & super altare suspensae

(a) *Petavius dogmat. theolog. lib. XV. cap.* 13., *N. Alexander diss. VI. in saecul. octavum* §. 3., *Lupus diss. de VII synodo generali cap.* 2. *tom.* 3. *V. E.*
(b) *Conc. Illiber. can. XXXVI.* (c) *Confer. Petav. loc. cit. cap.* 14. (d) *Conc. Trullan. can. LXXXII.*
(e) *Paulin. ep. XII. ad Sever.*

sae erant columbae, quibus spiritus sanctus exprimebatur. Nulla corporea specie Deus pater exprimi posse videbatur, quod nulla visibili forma credebatur apparuisse. Inde vero invaluit, ut sub forma antiqui dierum exprimeretur, quod tempore Nicolai I. in ecclesia Romana nondum invaluerat (*a*). Porro non eodem tempore, quo sanctorum imagines, etiam eorum statuae receptae sunt: statuae enim utpote magis idolis gentium similes, etiam octavo saeculo minus frequentes erant: at inde assiduo usu apud Latinos receptae sunt; apud Graecos enim earum exiguus usus fuit, hodie vero nullae sunt (*b*).

Sacrae imagines & picturae inserviunt institutioni.

§. XXVII. Admissis autem & probatis picturis, quibus sancti & scripturarum historiae exhibentur, ecclesiae exornantur, & earum ope christiani ad bonos mores & egregia facinora incitantur, & rudes in iis veluti legent religionis instituta. Immo praecipue ad rudium institutionem initio picturae in ecclesiis admissae videntur. *Idcirco*, inquit Gregorius M. (*c*), *pictura in ecclesiis adhibetur, ut si qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quae legere in codicibus non valent*. Hinc in picturis & imaginibus nihil falsi, & quod honestatem & religionem minus doceat, exhiberi debet. Falsis enim, obscoenis & lascivis picturis in errorem & morum perversitatem christiani inducuntur,

(a) *Lupus cit. dissert. cap. V.* (b) *Confer. Grancolas l' ancien sacramentaire part.I. p.* 72. (c) *Gregor. M. lib. IX. ep.* 105. & *lib. XI. ep.* 13. *edit. Benedict.*

non secus ac flagitiosus ille Terentianus adolescens pictum Jovis adulterium spectans lapsus & quasi caelesti magisterio seductus in stuprum. Et merito Tridentini patres statuerunt (a), *ut nullae falsi dogmatis imagines & rudibus periculosi erroris occasionem praebentes, statuantur*. Hinc muneris episcopalis est, falsas picturas ab ecclesiis abolere, praesertim si errorem in fide & bonis moribus instillent. Atque hac ratione plures ex recentioribus theologis tenent, rudi populo non expedire imagines trinitatis, quibus Deus pater & spiritus sanctus corporea forma exhibentur, in ecclesiis exponere: nam inde Deum esse corporeum facile sibi persuadebit. Quae sententia antiquitati convenit, nec contraria est ecclesiae decretis: nusquam enim nec in comitiis Tridentinis imagines trinitatis positivo aliquo decreto ecclesia recepit, quod Molanus docet (b).

Cultus sacrarum imaginum.

§. XXVI. Praeterea Christi & sanctorum imagines, quae institutioni & bono exemplo christianorum inserviunt, debita adoratione colendae sunt, idque contra iconoclastas synodus Nicaena II. constabilivit & Tridentina confirmavit (c). Debita autem adoratio sacrarum imaginum est externus cultus & honoraria adoratio, seu veneratio, qua Christum ipsum & sanctos co-

(a) *Trid. sess. XXV. in decr. de invocat. sanctor.*
(b) *Molan. histor. sanctar. imagin. lib. II. cap.* 3.
(c) *Conc. Nicaen. II. act. VII., Trid. sess. XXV. in decr. de invocat. sanctor.*

coram eorum imaginibus adoramus. Et caveant profecto episcopi & parochi, ne cultus iste ultra quam par est, extendatur, & ejus occasione inducatur superstitio: nam hac in re potius freno, quam calcaribus indiget vulgi religio, constatque historiae fide in quas absurdas praxes non minus Graeci quam Latini occasione cultus imaginum inciderint. Itaque saepe inculcandum rudi populo, imaginibus religiosum cultum exhiberi, non quod iis vis aliqua divina insit, vel quod ab iis sit aliquid petendum, vel in iis fiducia collocanda, sed quod delatus honor in sanctos redundet (a). Quoniam vero vulgus in re, quae sensus percellit, vix rectis limitibus continetur, hinc multae Occidentis ecclesiae, inprimis Gallicana, septimo & octavo saeculo imagines sanctorum tantum ad institutionem admittebant, eis vero aliquem cultum exhiberi non patiebantur, non quod istae ecclesiae imaginum cultum superstiosum judicarent, sed potius quod superstitionem praecavere intenderent, quod post alios viros doctos Espenius observat (b). Cui disciplinae adeo adhaeserunt Gallicani antistites, ut integra ecclesiae unitate synodum Nicaenam II, qua cultus imaginum constabilitus est, reiiecerint. At deinceps etiam ecclesia Gallicana debitam imaginum sacrarum adorationem admisit. Probatus ab ecclesia sacrarum imaginum cultus nihil mali aut superstitiosi in se continet: quid enim mali est sanctos in imaginibus venerari & exoscu-

(a) *Trid. loc. cit.* (b) *Espen. par. II. tit. 16. cap 1. n. 15.*

sculari (*a*)? Quod si sero tandem imaginum usus in templis receptus est, id earum cultui nihil officit; nam cultus iste hypotheticus est, cujus generis doctrinae & in jure naturali & in religione plures sunt.

Ecclesiae consecratio non repetenda.

§. XXVIII. Sollemni ritu ecclesia consecrata, etsi enormi crimine polluatur, iterum non debet consecrari. Quemadmodum enim semel datus baptismus non iteratur, ita nec locus Deo dicatus iterum consecrandus est: quam rationem canon quidam sub nomine concilii Nicaeni proponit (*b*). Non repetitur vero consecratio, si ecclesia eadem maneat, vel saltem eadem hominum judicio reputetur. Hinc si vetus ecclesia ex integro eversa sit, & nova in veteris locum aedificata, nova ecclesia consecratione indiget. Contra si ecclesia per partes renovetur: quin si illaesis parietibus lignea aedificia casu consumentur, & de novo fiant, consecratio non repetitur (*c*), nam prudenti judicio ecclesia eadem perseverat. Porro nec ecclesiam iterum oportet consecrare, quod altare motum aut violatum fuisse dicatur. Saeculo XI. si motum fuisset altare, iterum ecclesia consecrabatur: quam disciplinam promovit decretalis sub Hygini papae nomine, qua scriptum est, *si motum fuerit altare, denuo ecclesia consecretur* (*d*). Et deinde quod ecclesia sit propter altare, non altare propter ecclesiam; videbatur moto

(a) *Confer. Nat. Alexander diss. VI. in octavum saeculum.* (b) *Can. XX. D. 1. de consecrat.* (c) *Cap. VI. ex. de consecrat. eccles.* (d) *Can. XIX. eod.*

to altari integram ecclesiam iterum consecrandam, quam rationem S. Anselmus habet (a). Verum haec disciplina diu non stetit: nam inde Alexander III. rescripsit, non esse iterum ecclesiam consecrandam, quod altare motum fuerit, licet aliqui canones aliud innuere viderentur (b). Et profecto quum diversis ritibus ecclesia & altare consecrentur, altari moto aut fracto iterum non erat ecclesia consecranda. Quod si ecclesiam consecratam fuisse dubitetur, iterum consecrabitur (c), non secus ac iterum datur baptismus, si dubium sit, utrum collatus fuerit.

Polluta ecclesia reconciliatur.

§. XIX. Quamvis autem consecrata ecclesia quousque eadem perseverat, iterum non consecretur; tamen si palam polluatur, reconcilianda est, quod thema Passerinus (d) fuse persequitur. Polluitur autem ecclesia humani sanguinis effusione & homicidio etiam citra sanguinis effusionem in ea admissis (e), quod de effusione & homicidio per injuriam factis merito accipiunt canonistae: item emissione humani seminis etiam licita (f), & ethnici aut excommunicati sepultura (g). Polluta ecclesia adjacens coemeterium etiam pollutum censetur, non contra (h). In ecclesia polluta divina officia & in primis missae sacrificium non

---

(a) *S. Anselmus lib. III. ep.* 159. (b) *Cap. I. ex eod.* (c) *Can. XVIII. eod.* (d) *Passerim. de pollut. eccles.* (e) *Cap. IV. & ult. ex. de consecr. eccles.*

(f) *Can. XIX. D.* 1. *de consecr.*, *cit. cap. ult. & cap. V. ex. de adulter.* (g) *Cap. VII. ex. de consec. eccles.* (h) *Cap. un. eod. in 6.*

non licet celebrare, nisi prius reconcilietur; & si pollutio per sepulturam excommunicati sit, ante omnia cadaver, ubi discerni potest, effodiendum (*a*) Tantum episcopus ecclesiam pollutam reconciliat, idque per aquam vino & cinere admistam, & a se prius benedictam, qua adspergillo ex hyssopi herba parato ecclesia adspergitur non sine precum accessione. Hac autem caerimonia peccatorum reconciliationem designari theologi docent: eóque spectare videtur usus cineris, qui in publica poenitentia olim sollemnis erat (*b*). Ita videntes christiani ecclesiam, quae non peccavit, imagine poenitentiae reconciliari, delictorum horrore concutiuntur, & facile animadvertent, quantum ipsis ad peccatorum expiationem laborandum sit. Quod si ecclesia tantum benedicta polluatur, non sollemni reconciliatione opus est, sed tantum aqua benedicta etiam a presbytero lavabitur (*c*).

Reparatio ecclesiarum.

§. XXX. Exstructae ecclesiae identidem instaurandae & reparandae sunt, ut perpetuum maneant ad religionis exercitium. Sarciri autem debent ex bonis earumdem ecclesiarum, quod omnino justum est. Et sane ex veteri Latinorum disciplina in multis ecclesiis proventus ecclesiastici in quatuor partes, in aliis in tres tribuebantur, quarum partium una ecclesiis sarciendis & instaurandis cedebat (*d*). Temporis lapsu de-

---

(a) *Can. XXVII. cit. D. 1.* (b) *Confer. Espen. par. II. tit. 16. cap. 4. n. 23. seqq.* (c) *Cit. cap. ult.* (d) *Conf. Thomass. de benef. par. III lib. 2. cap. 13. seq*

desuevit partitio ista bonorum, & instituta sunt ecclesiastica beneficia, quibus uni beneficiario fructus beneficii sui percipere conceditur. At natura ipsa bonorum mansit immutata: bona transierunt cum onere suo: & beneficiarii meri sunt redituum ecclesiasticorum procuratores. Hinc beneficiarii tenentur suorum beneficiorum ecclesias reficere; eidemque oneri etiam subiiciuntur omnes, qui decimas & alia bona ecclesiarum possident, etsi beneficiarii non sint (*a*), nisi ecclesia peculiares suos reditus fabricis addictos habeat. Beneficiariis autem incumbit reparatio, *si eis supersint* bona ultra frugalem sustentationem, ut Alexander III. rescripsit (*b*): ex bonis nempe ecclesiasticis primum ministrorum alimenta deducenda sunt. Quod si bona ecclesiastica non sufficiant, & ecclesia paroecialis instauranda vel reficienda sit; eam in rem christiani collectas pro religione sua conferre debent (*c*): pertinet enim ad christianorum officium loca habere ad religionis exercitium addicta. Cui juri consonat concilii Tridentini decretum, nisi quod episcopis etiam concedit, ut patronos & ceteros bonorum ecclesiasticorum possessores, & in eorum defectum paroecianos omnibus remediis opportunis cogant ad ecclesiam paroecialem instaurandam (*d*). Quod decretum utpote episcopis imperium tribuens, nec in regno nostro receptum

 est,

(a) *Cap. I. ex. de eccles. aedific., conc. Roman. sub Eugenio II. can. XXV. Confer. Gonzalez. in cit. cap. I.*
(b) *Cap. IV ex eod.* (c) *Cit. can. XXV. conc. Romani.* (d) *Conc. Trid. ses. XXI. de ref. cap. 7.*

est: ubi sine regio adsensu collectas ad reparandas ecclesias christiani non conferunt.

☞ *Summopere hic commendanda est Regum nostrorum circa Ecclesiarum restaurationem eximia pietas, de qua sermonem habuimus* T. I. harum Instit. Cap. 4. de Principum legibus circa res Ecclesiasticas, *ubi adnotavimus Ferdinandum II. Siciliæ Regem ad regni supplicationem decrevisse, ut quinta pars fructuum, qui Regio Patronatui pertinent in reparationem Ecclesiarum ejusdem Patronatus Regii, ipsarumque necessariam supellectilem quotannis erogatur. Vid. T. 4. Siculorum Sanctionum p. 171. & seq. vel T. 2. cap. Regni Siciliæ p. 575. & seq. ubi ex integro Ferdinandi Regis constituctio habetur.*

CAPUT XXXIII.

De asylo ecclesiarum.

Asyla apud Graecos, Romanos & Judaeos.

§. I. VOx *asylum* Graeca est denotatque locum sanctum, quo confugientes sine summo piaculo avellere non licet. Apud Graecos templa, altaria, simulacra, luci sacri securitatis & asyli loca erant, quae si non initio saltem tractu temporis etiam quibusvis sceleratis eo confugientibus securitatem praestabant. Nempe templa sollemni consecratione rerum humanarum numero eximi, ac veluti in deorum patrimonio constitui credebantur. Quo fiebat, ut eo confugientes securi essent, tamquam in loco diis sacro positi & sub eorum custodiam recepti.

Et

[redacted]

Et qui ad templa confugientes nocebant, sacrilegi censebantur, sibique illatam injuriam dii immortales credebantur inultam non relinquere, quod ex Justino constat (*a*). Sed non omnia Graecorum templa asylo aucta erant, sed quibus consecrationis lege concederetur. Inde tempore Tiberii per Graecas urbes licentia & impunitas asyla constituendi invaluerat, & hinc *complebantur templa pessimis servitiorum: eodem subsidio obaerati adversum creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur*, quod Tacitus (*b*) testatur. Quamquam in gravioribus criminibus antiquiores Graeci asylorum sanctitatem aliquando eluserint, vel igne aris admoto, vel victu confugientibus ad mortem usque denegato. Romae praeter Romuli asylum deinceps pauca templa & sacella perfugii loca fuerunt, quod viris doctis observatum (*c*). Apud Judaeos vero sapienter asyla constituta sunt: nam in deserto altare asylum iis fuit, qui inviti & inconsulto occidissent; at qui ex insidiis proximum suum occidebant, ab altari ad mortem abducebantur (*d*): republica Judaica deinceps suis sedibus recepta, urbes asyli constitutae, in quibus itidem securi erant, qui inconsulto occidissent; reis vero data opera occidentibus tantum asylum proficiebat, ne indicta caussa poenas luerent (*e*). Nullum in templo asylum constitutum est, ne homicida-

(a) *Justin. lib.XXVIII. cap.* 3. (b) *Tacit. lib.III. annal. cap.* 60. (c) *Lipsius excurs. in lib. III. annal. Taciti cap.* 30. (d) *Exod. XXI.* 14. (e) *Numer. XXXV.* 8. *seqq. Confer. Jo. Clericus in not.*

darum praesentia & irruentium forte ultorum vi divinus cultus temeraretur.

Qui in ecclesiis asylum invaluit.

§. II. Jure quoque asylorum Christi ecclesiae donatae sunt, quod privilegium a Constantini M. conversione coepit invalescere: quarto enim saeculo multa confugarum in ecclesiam exstant exempla, quae Jac. Gothofredus (*a*) congessit. Nulla autem ea de re ante Theodosium M. lex lata est, saltem non exstat, nec latam fuisse idoneis monumentis demonstratur. Ac sane asyli sanctitas christianis ecclesiis primum usu & consuetudine quaesita videtur, scientibus & pro religione sua non repugnantibus summis imperantibus. Nimirum miseris opem ferre semper episcoporum munus fuit, iique post pacem ecclesiae datam pro reis apud magistratus intercedere coeperunt ad poenae debitae remissionem aut saltem mitigationem (*b*). Hinc & innocentes vi oppressi & graviorum criminum rei ad ecclesiam confugere, auxilium ab episcopis imploraturi; dabaturque interim loci religioni & intercedentis auctoritati, ut confugientes, saltem qui misericordia & patrocinio digni videbantur, ab omni molestia tuti essent. Sane de Feventio cujusdam saltus conductore, qui sibi a domino possessionis metuens, ad ecclesiam Hipponensem confugerat, inquit Augustinus (*c*), quod ibi erat, *ut confugientes solent, expectans, quomodo per in-*

(a) *Gothofr. in L. 1. C. Th. de his qui ad eccles. confug.* (b) *Conc. Sardic. can. VII., & Hieronym. ep. II. ad Nepotian.* (c) *August. ep. CXV.*

interceſſionem noſtram. ſua negotia terminaret. Et alio loco idem Auguſtinus confugientem in eccleſiam ſummo timore perculſum & epiſcopi auxilium invocantem repraeſentat (*a*). Ex quibus moribus eccleſiarum aſylum invaluit: quod in dies crevit, & clericorum nimio zelo & confugientium audacia civitati noxium & ipſi eccleſiae injurioſum evaſit. Hinc chriſtiani imperatores variis legibus ejus formam, modum & limites conſtituerunt, quandoque etiam abrogarunt.

Cujus poteſtatis eſt aſyli in eccleſiis conſtitutio.

§. III. Et ſane aſylorum etiam in eccleſiis conſtitutio ad civilem potius quam ad eccleſiaſticam poteſtatem videtur pertinere. Civilis poteſtas merum imperium ad animadvertendum in facinoroſos homines a Deo accepit: nec jure evangelico ulla loci ſanctitas eſt, qua rei a poteſtate juris gladii eximantur. Juſtinianus quoque aperte profeſſus eſt, eccleſiis ab lege civili aſylum conciliari (*b*). Ipſi eccleſiae patres id adgnoverunt: etenim ſublato per Arcadium eccleſiarum aſylo, ad ejus reſtitutionem impetrandam Africani patres anno CCCXCIX legatos ad principes miſerunt, *ut pro confugientibus ad eccleſiam quocumque reatu involutis legem de glorioſiſſimis principibus mererentur, ne quis eos audeat abſtrahere* (*c*). Hinc quinque primis ſaeculis nulli prorſus exſtant canones, qui de eccleſiarum aſylis decernant (*d*), quod probe ſciebant epi-

(a) *Auguſt. ſerm. XVIII. de verb. domini*. (b) *Novel. XVII. cap 7*. (c) *Can. LXI. C. Afric*. (d) *Confer. Petrus Sarpi de jur. aſylor. cap. I.*

episcopi, eam potestatem ad principes, pertinere, tantumque sibi intercedendi gloriam relictam esse. Porro qui inde de asylis prodierunt canones, jussu & auctoritate regum in conciliis conditi sunt, ut exemplo esse possunt synodi Aurelianensis I. anno IↃXI & Toletana XII. anno IↃCLXXXI celebratae, quae jussu & auctoritate regum Clodovei & Ervigii asylis ecclesiarum formam dederunt. Et profecto doli mali reus est Gratianus, qui canonem Toletanum ea parte, quae regis auctoritatem continebat, detruncavit (*a*). Sed temporis lapsu alia multis decretalium interpretibus insedit opinio, ecclesiarum nempe asylum & quidquid ejus rei est, uni ecclesiasticae potestati deberi. Quae sententia praesertim post Gratianum coepit: hic enim multos canones sive interpolatos sive suppositítios collegit, quibus constare videtur, ab ecclesiastica potestate asyla pendere: & ejus aetatis interpretes, quin & pontifices, ferme ex solo Gratiano sapiebant (*b*).

Jure Romano qui asylis excluduntur.

§. IV. Sanctitas asyli ecclesiis concessi ex sensentia legum Romanarum praecipue ad sublevandos miseros vi oppressos spectabat, non ad invertenda aliorum jura, multo minus in gravibus criminibus proderat reis in ecclesiam confugisse, nisi quatenus episcoporum intercessiones ad poenae mitigationem magistratus inflecterent, *Tempo-*

(a) *Can.* XXXV. *C.* 17. *q.* 4. (b) *Confer. Espen. dissert. de asylo templor. cap. III.*

porum cautela, inquit Justinianus (*a*), *non nocentibus, sed laesis datur a lege*: quae sententia omnium legum antecedentium de hoc argumento verum sensum patefacit. Itaque jure civili publici debitores, immo etiam privatis rationibus impliciti, asylo ecclesiarum non juvantur: ipsique clerici debita expungere jussi, si eos occultarent, vel non exhiberent (*b*) Item asylo non utebantur Judaei, qui se christianos fieri simulabant, ut criminum vel debitorum pondera evitarent (*c*). Et servis sine telo ad ecclesiam confugisse proderat vno die, quo exacto restituebantur dominis, qui in sacerdotis & ecclesiae honorem debitas poenas remitterent (*d*). Concessit quidem inde Leo imperator & publicis & privatis debitoribus asyli privilegium; at interim confugae apud judicem conveniebantur, & ex caussa judicati fiebat exsecutio more judiciorum, salvo asyli jure, ex contumacia vero decernebatur missio in possessionem bonorum (*e*). Porro asylo ejecti homicidae, adulteri & virginum raptores, quod Justinianus lege quadam novella statuit (*f*). in qua publicis debitoribus iterum asylum denegatur. Quin boni interpretes in primis Cujacius (*g*) ex legis ratione, quae habet,legem innocentibus non laedentibus asylum proposuisse, inferunt,

(a) *Novel XVII.eap. 7.* (b) ***L. I. & III C. Th. de his qui ad eccles. confug.*** (c) ***L. I. C. de his qui ad eccles.confug.*** (d) ***L. V.C. Th. eod.*** (e) ***L. VI. C. eod.*** (f) ***Cit. novel. XVII. cap. 7.*** (g) ***Cujac.in cit. novel.***

runt, jure civili omnia gravia crimina asylo ecclesiarum excludi. Nec his omnibus obstat Honorii & Theodosii constitutio, qua statuitur, *nemini licere ad sacrosanctas ecclesias confugientes abducere*, perduellionis poena in abducentes injuncta (*a*): nam id spectavit tantum privatos abductores, qui tumultus & seditiones in ecclesiis excitabant non magistratus, ac proinde lex peculiaris fuit quae confugientes a vi privata tutos faciebat, quod Petrus Sarpus (*b*) observat.

Episcoporum desideria de asyli amplitudine.

§. V. Interim vel ipsi sanctissimi episcopi asylum ecclesiarum amplissimum esse cupiebant, eoque securos reddi etiam publicos debitores & quorumcumque criminum reos. Ergo sublato per Arcadium ecclesiarum asylo, Africani patres ad imperatores miserunt legatos, qui *pro confugientibus ad ecclesiam quocumque reatu involutis* securitatem impetrarent (*c*). Nec sane ista episcoporum vota ex fine expensa damnanda videntur. In primis antiqui christiani & maxime episcopi a poenis capitalibus abhorrebant, nec ob crimina sanguinem effundi aequum judicabant, quod egregie Arnoldus demonstravit (*d*) Rei quoque ad ecclesiam confugientes curis episcoporum ad bonam vitam adducebantur; nec episcopi apud magistratus intercedebant, nisi rei conversionem promitterent (*e*). Hinc iis publica

lica

(a) *L. II. C. eod.* (b) *Petr. Sarp. de jur. asylor. cap. I.* (c) *Can. LXI. C. Afric.* (d) *Arnold. repraesent. prim. christ. lib. V. cap. 4.* (e) *Confer. Espen. dissert. de asylo templor. cap. I.*

lica indicebatur poenitentia, quae mors prolixior videri poterat, adeo antiquior poenitentia multis cruciatibus, squallore & diuturnitate reos conterebat. Et profecto nescio, an utilius exemplum delinquentes poenitentia sua quam sanguine effuso civitati praeberent. Qua in re gaudeo cum humanitate nostrorum episcoporum consentire praesentis temporis philosophiam, quae vbi rei melio res fieri possunt, sanguinis poenas minus probat. At ex forma ab episcopis expetita in Romano imperio asyla nunquam statuta videntur: forte quod delinquentium poenitentia non semper sincera erat, atque ita satius visum, reos debitis poenis punire, quam hominibus bonam vitam simulantibus implere civitatem.

In Occidente mediis saeculis asyla amplissima.

§. VI, Novis per Occidentem institutis regnis & civilis & ecclesiastica potestas ad humanitatem conspiravit, atque asyla ecclesiarum omnibus eo confugientibus etiam ad poenarum publicarum remissionem profuerunt. Sane in concilio Aurelianensi I ex consensu & jussu regis Clodovei (*a*) & in concilio Toletano XII. *consentiente pariter ac jubente* Ervigio rege (*b*) statutum est, ut criminum rei ad ecclesiam confugientes non abducantur, nisi abstrahentes sacramento suo poenae remissionem promittant; ipsi vero rei abducti privatis injuriis satisfaciant. Et capitularia regum Francorum sublato antiquo capi-

(a) *Conc. Aurelian. I. can. III.*, *epist. synodi ad Clodoveum to n.4. concilior.general.* (b) *Conc. Tolet. XII. can. 10.*

tulo, quo rei mortis asylo excluduntur, saepe edicunt, confugientes ad ecclesiam tutos esse, nec inde ad poenam vel mortem abripi posse, sed rectorum ecclesiarum intercessionibus membra & vitam eis concedi, interim vero reos parti laesae satisfacere (*a*). Sic extensum in Occidente asyli privilegium moribus populorum, qui nova ista regna fundaverant, conveniebat, & praeterea reipublicae non admodum incommodo fuisse videtur. Magna erat apud barbaros ecclesiarum veneratio, adeo ut reges nefas putarent ab ecclesiis abductos morti tradere, quod de regibus Gunthramno & Childeberto Gregorius Turonensis (*b*) refert. Germani quoque aliique septemtrionales populi ex antiquis gentis suae moribus a poenis sanguinis abhorrebant, tantumque multis crimina etiam gravissima expiabant, nec ad mortem usque punire solebant, nisi quum de reorum conversione plane desperaretur. Quibus moribus accedens christiana mansuetudo & sacerdotum intercessio, quid mirum si rei ad ecclesiam confugientes remissionem poenarum publicarum inpetrarent, tantumque ad privatam injuriarum satisfactionem cogerentur? Porro ad ecclesiam confugientes canonicae & rigidae subdebantur poenitentiae, qua non minus in bonos christianos, qnam bonos cives proficiebant, & dum facinorosi bonam mentem induebant, nihil mali civitati timendum videbatur.

Rei

(a) *Lib. I. capit.* 134., *lib. V. cap.* 155. & *can. IX. C.* 17. *q.* 4. (b) *Gregor. Turonensis hist. Franc. lib. IX. cap.* 3. & 38.

Rei asylo dejecti jure decretalium.

§. VII. Post saeculum XII. ampla illa ecclesiarum sanctitas, qua facinorosi omnes asylo defendebantur. sensim pontificum decretalibus restricta est. In primis Innocentii III. ad Scotiae regem rescripto publici latrones, & nocturni agrorum depopulatores asylo exclusi sunt (*a*). Et a Gregorio IX. asylum denegatur iis, qui ea spe atque consilio deliquerint, ut sacro se loco tueantur: quique in ecclesiis & earum coemeteriis occiderint, aut membra mutilarint; legis enim auxilio indigni sunt, qui in ipsam legem, quae tuetur, peccant (*b*). Qua ratione docent canonistae, generatim asylo non juvari, qui in loco sacro quodvis aliud etiam leve crimen admiserint (*c*). Nec asylo juvantur, qui ex insidiis homines interimunt, quod ex lege Mosaica in ecclesiam Gregorius IX. derivavit (*d*). Suis quoque rescriptis in Angliam declaravit Julius II anno CIϽIϽIV reos laesae majestatis, homicidas & depraedatores ab ecclesiis abducendos. Nimirum canonicis poenitentiis desuetis non amplius is esse coepit asylorum fructus, qui olim optatissimus, reorum per publicam & longam poenitentiam conversio, sed potius tristissimus, reorum impunitas, atque ita ecclesiae scelerorum hominum videbantur receptacula: Hinc non solum restringenda, sed omnino abolenda pro criminibus videbantur asyla, praeser-

(a) *Cap. VI. ex. de immunit. eccles.* (b) *Cap. ult. ex. eod.* (c) *Covarruv. var resolut. lib. II. cap. 20.* (d) *Cap. I. ex. de homicid. volunt.*

tim quando nullus erat locus episcoporum intercessionibus; tantumque pro miseris & oppressis integra manere oportebat. Ex hac ratione permulti auctores multis delinquentibus canonum verbis non comprehensis ex regulis interpretationis asylum denegandum statuerunt, ut apud Petrum Sarpum videre est (*a*). Immo in Gallia asylorum sanctitas iamdiu nulla est, nisi eorum qui aere alieno gravantur, ut ad ecclesiam confugientes neque capi neque abduci queant (*b*).

Loca asyli.

§. VIII. Quod vero spectat ad loca, quae confugientibus praestabant securitatem, initio quidem solae ecclesiae ex parte interiore, & praesertim altare, videntur asylum praebuisse (*c*): inde Theodosiii junioris lege hoc privilegium ad ecclesiarum exedras, quae alias *septa* vocabantur, extensum est (*d*), ne reis continuo in ecclesiis versari necesse esset, & ne irruentium sive confugientium vesania loci sanctitatem violaret. Deinceps concilium Toletanum XII. Ervigii regis jussu pro asylo triginta passus circum ecclesias concessit (*e*): & canon quidam sub Nicolai papae nomine majori ecclesiae quadraginta, minoribus vero seu capellis triginta passus per circuitum septi loco tribuit (*f*). Plures ec-

(a) *Sarpi de jur asylor. cap. V.* (b) *Confer. Thomass. de benef. par. II lib.* 3. *cap.* 100 *& Cabassut. theor. & prax. jur. can. lib. I cap.* 19. *n.* 21. (c) *Confer. Jac. Gothofr. ad lib. IV. C. Th. de iis qui ad eccles. confug.* (d) *Cit. lib. IV. C. Th.* (e) *Can. XXXV. C.* 17. *q.* 4. (f) *Can. VI. eod.*

ecclesiae sine exedris erant, & hinc justum visum aliquo extra ecclesiam spatio reos tutos esse, ut naturae necessitatibus extra ecclesias satisfacerent. Formae sub nomine Nicolai praescriptae jus canonicum recentius se accommodavit: & hinc solliciti fuerunt interpretes inprimis Covarruvias (*a*), quodnam spatium quisque passus contineret, ut ita quae esset asylorum amplitudo constaret. Fruebantur autem tanto privilegio etiam ecclesiae non consecratae, modo divina mysteria in iis celebrarentur, quod Gregorius IX statuit (*b*). Domus quoque ubi habitant episcopi & parochi, asylo avctae, praesertim si intra septorum ambitum essent. Et posteriori aetate etiam crucibus per vias defixis, coemeteriis etiam ab ecclesia sejunctis, xenodochiis & aliis locis religiosis asylum communicatum est: quin presbyter eucharistiam ad infirmos deferens asylum conciliavit. Sed sensim extrensio asyli per quadraginta aut triginta passus circum ecclesias in christianis provinciis desuevit (*c*), nec cruces in viis positae, nec omnes ecclesiae reis eo confugientibus sanctitatem procurant.

Quomodo rei ad asylum confugere debent.

§. IX. Vt vero in criminibus non exceptis locus sit asyli privilegio, reos sponte sua ad ecclesiam confugere oportet, ut hoc ipso declarent, se ecclesiae patrocinium implorare. Hinc ti-

(a) *Covarruv. resol. var. lib. II. cap.* 20. (b) *Cap. IX. ex. de immunit. eccles.* (c) *Confer. Petrus Sarpi de jur. asylor. cap. V.*

titulus utriusque codicis non est de asylo ecclesiarum, sed *de his, qui ad ecclesiam confugiunt*. Ex qua doctrina inferunt intrepretes, asylo non juvari, qui a lictoribus capti per loca immunia ducuntur, etsi in iis existentes ecclesiae auxilium implorent; tales enim confugiendi carent potestate: nec qui alia ratione non confugii caussa ad ecclesiam accesserunt (*a*). Confugientes quoque ad ecclesiam arma deponere debent; eorum enim securitas non a vi, quam facere possunt, sed a loci sanctitate dependet, & si arma deponere noluerint, vi armata abducendi sunt, ipsisque tribuitur, si in abstractione aliquem eorum occidi contingat, nec violata immunitas loci intelligitur: quae omnia Theodosii junioris lege comprehensa sunt (*b*). Et apud nos ad ecclesiam confugientes statim per superiorem ecclesiasticum, judicis saecularis auxilio, si opus fuerit, impetrato, armis spoliantur: quae eidem judici tradenda sunt, praemissa tamen a superiori ecclesiastico contestatione, se sanguinis effusionem non intendere (*c*). Qui vero in ecclesiam recepti, asylo defenduntur, illic edere, cubare & dormire vetantur: qua ratione asyli sanctitas ad septa ecclesiarum extensa est (*d*). Et si reus asylo tutus sponte sua a loco immunitatis egrediatur, ipso jure excidit privilegio & libere adprehendi potest (*e*).

Poe-

(a) *Confer. Gonzalez. in cap. VI. ex. de immunit. eccles.* (b) *L. IV. C. Th. de his qui ad eccles. confug* (c) *Concord. un. CIↃIↃCCXLI. cap. II. n.* 24. (d) *Cit. l. IV., can. XXXV. C.* 17. *q.* 4. (e) *Confer. de asylo templor. cap. V. n.* 1.

Poenae in violatores asylorum.

§. X. Quoties vero reis prodest ad ecclesiam confugisse, inde per vim abduci nequeunt, & qui eos eiecerint, violatae ecclesiarum sanctitatis rei judicantur. Jure civili ad crimen majestatis pertinebat, si quis ad sacrosanctam ecclesiam confugientes invitos abduceret (*a*). Et sequenti aetate quando ea de re inter principes & episcopos conveniebat, abducentes ab ecclesia reos invitos excommunicationi & publicae poenitentiae subjecti sunt (*b*); & praeterea multam pecuniariam & fisco principis & ecclesiae inferendam subibant (*c*). Scitum est, leges Germanorum & Francorum, quae per universam ferme Europam permearunt, delicta omnia compositionibus pecuniariis expiasse. Spectabant autem hac aetate excommnnicatio & multae praesertim eos, qui privata vi reos ab ecclesiis abducebant ad vindictam, & reipsa multi canones aperte privatos abductores innuunt (*d*): nam quum secundum ejus aetatis disciplinam de asylis inter civilem & ecclesiasticam potestatem conveniret, ferme nulla erat occasio, cur episcopis invitis magistratus reos ecclesiis abiicerent. Et certe fragmentum sub nomine Augustini, quo Bonifacius comes, quod hominem ab ecclesia abduxisset, excommunicatur, (*e*), apochryphum est

---

(a) *L. II. & VI. C. de his qui ad ecclef. confug.* (b) *Can. XX. & XXXV. C.* 17 *q.* 4. (c) *Cap. reg. Dagoberti tit. VII. cap.* 4. *ap. Balut. tom. I. capitul. p.* 98., *cit. can. XX.* (d) *Can. X. XIX. seq. C.* 17. *q.* 4. (e) *Can. VIII. eod.*

est: abhorret enim ab Augustini stilo, & ejus aetatis disciplina. Sed post saeculum X sensim multae cessarunt, & sola obtinuit excommunicatio, qua non minus privati, quam magistratus, qui reos ecclesiis per vim abducerent, puniti sunt. Posteriori enim aetate inter episcopos & magistratus de jure asylorum coeperunt controversiae, quo factum, ut magistratus invitis episcopis confugientes ab ecclesiis abducerent. Apud nos secundum praesentem disciplinam integrum est episcopis contra magistratus (a), qui asylum violarint, censuras inferre; & qui reos inde abducunt, sive abduci praecipiunt, asylo privantur (b), nam legis beneficio gaudere non debent, qui in leges peccant.

De judice in caussa asyli & reorum abductione.

§. XI. Iam vero ubi dubitatum, an ad ecclesiam confugientes asylo defendantur, cujus judicis sit id decernere laici an ecclesiastici, a duobus ferme seaculis disputatur. Sed si res ex principiis suis expendatur, videtur constare, hoc judicium ad judicem laicum pertinere. Sane legibus principum asyla constituta sunt, eorumque jussionibus per plura saecula formam acceperunt, nec umquam principes hanc abiecerunt potestatem: magistratus autem de rebus civilibus judicant. Porro Leo imperator legis, qua asylum ecclesiarum ampliavit ultra formam veterum legum, imperii magistratibus man-

(a) *Concord. an. CIↃIↃCCXLI. cap. II. n.* 1. & 35.
(b) *Cit. concord. cap. II. n.* 21.

mandavit exsecutionem, excepta urbe regia, in qua ipse praesens, prout res ferret, quidquid vellet, statuere posset (*a*). His aliisque rationiqus magistratus sibi judicium adseruerunt, ubi dubium erat, an reus asylo uteretur: quae praxis per omnes christianas provincias recepta erat, quod episcopus Covarruvias testatur. Postquam cognitum est, reum asylo non juvari, idem magistratus eum asylo etiam absque episcopi venia abducit; siquidem exsequitur sententiam, qui illam dixit. Et deinde in specie, qua constat, confugientem asylo non gaudere, nulla ecclesiae fit injuria, si eum magistratus per vim abducat; nam ecclesia in exceptis casibus confugientes non defendit, quod observat mox dictus Covarruvias (*d*), qui addit, hanc praxim *moribus & praxi christiani orbis satis receptam esse*. Quousque vero cognitio terminetur, satius erit, reum a loco immuni abducere & custodiae tradere, quam ad ecclesiam ponere custodiam; id enim locorum sacrorum sanctitati plane non convenit; sed abductus reus in asylum restituendus est, si asylo locum esse decernatur (*b*).

Bulla Gregorii XIV. non recepta.

§. XII. Qui putant de asylis cognitionem, & reorum ab ecclesiis abductionem episcoporum esse, praesertim bulla Gregorii XIV *quum alias nonulli* nituntur, cujus integram sententiam hic referre opertet. In primis summus pontifex indulta rescindit, quae praedecessores pontifices ali-

(a) *L. VI. C de his qui ad eccles. confug.* (d) *Covarruvias lib. II. var. resolut. cap. 20.* (e) *Confer. Sarpi de jur. asylor. cap. VI.*

quibus principibus fecerant, ut etiam in casibus quibusdam jure non comprehensis reos asylo abducerent, idque fecit ad jus uniforme in omnes provincias inducendum. Inde asylo abiicit laicos publicos latrones, viarum grassatores, depopulatores agrorum, homicidia & membrorum mutilationes in ecclesiis seu coemeteriis admittentes, homicidas ex insidiis; *assassinos*, seu qui ad caedem hominis suam locant operam, aut conducunt alienam, & rei laesae majestatis in ipsius principis personam. Quo autem casu rei asylo non juvantur, porro Gregorius decernit, ut abductio de licentia episcopi & interveniente ecclesiastica persona ab eodem episcopo deputata fiat; & abducti rei in episcopi carceres trudantur, nec ante magistratui tradantur, quam ab episcopo cognitum fuerit, excepti criminis reos esse. Vides hac decretali jus omne de asylis constituendis, moderandis & eorum caussis cognoscendis uni potestati ecclesiasticae tribui, sola obsequendi gloria summis potestatibus relicta. Sed decretalis ista nullibi christianarum gentium recepta est (*a*).

Nova forma abducendi reos ab asylo apud nos.

§. XIII. Post editam hanc Gregorii XIV decretalem controversiae de asylis inter magistratus & episcopos praesertim emerserunt, dum utrique propria jura tueri existimabant. Apud nos vero controversiae istae graviores & frequentiores fuerunt: nam reges nostri nihil de juribus

---

(a) *Confer. Espen. disser. de asyl. templor, cap. IX. n. II.*

bus majeſtatis imminutum volebant; at interim cum pontificibus aperte concertare detractabant. disputatum eſt apud nos usque ad pacta conventa inter Benedictum XIV & Carolum olim regem noſtrum, quibus & alia argumenta controverſa & quae erant de aſylis compoſita ſunt. Etenim modus abducendi reos ab aſylo praeſcriptus eſt, data forma judicio, quo an reus aſylo defendatur, decernendum eſt, auctus numerus criminum aſylo dejectorum, & locorum immunium numerus deminutus. Ac primum quidem ſi laicus, qui excepti criminis reus creditur, ab aſylo abſtrahendus eſt, magiſtratus, ubi adſunt indicia *ad capturam*, veniam petet ab eccleſiaſtico ſuperiore, qui in urbe eſt epiſcopus ejuſve vicarius, in dioeceſi vero qui ſuperioris vice fungitur; & abductio fiat praeſente perſona eccleſiaſtica, quam ille elegerit. Abductus reus traditur curiae ſaeculari, quae jurato & in ſcriptis cavet, ſe reum nomine eccleſiae detenturum, eumque integrum reſtituturum, ſi aſylo locum eſſe decernatur. Quod ſi non reſtituatur, integrum eſt epiſcopo poenis canonicis contra magiſtratum veluti reum violatae immunitatis uti. Licentia autem ab eccleſiaſtico ſuperiore denegata, magiſtratus eadem praeſtita cautione reum abducit, ſed ea modeſtia, quae domum Dei decet (a)

Et forma judicii in cauſſa aſyli.

§. XIV. Civili cuſtodiae reo tradito, magiſtratus de crimine actus judiciales conficere de-

(a) *Concord. cap. II. n. 1. ſeqq.*

bet, eosque quatuor mensium spatio ad episcopum transmittere. Episcopus vero unius mensis spatio decernet, utrum reus asylo defendatur. Quod si praescripto quatuor mensium spatio, actus judiciales episcopo non exhibeantur, poterit hic ex formula obligationis petere a magistratu restitutionem rei in ecclesiam, quam magistratui differre non licet. Et ubi unius mensis spatio episcopus non pronuntiaverit, an reus asylo gaudeat, ipso jure cognitio ad tribunal mistum Neapoli constitutum devolvitur. Ut vero possit episcopus pronuntiare, reum asylo non defendi, indicia ad torturam sufficiunt. Cessat autem obligatio magistratus ad reum in ecclesiam restituendum, ubi episcopus pronuntiavit, reum asylo excludi: at interim nova obligatione se adstringit magistratus de reo iterum in ecclesiam restituendo, quo casu hic se defendens indicia, quae crimen exceptum ab asylo faciebant, diluerit. Licet autem vel fisco laico vel ecclesiastico contra episcopi sententiam ad tribunal mistum provocare, cui integrum est actorum ampliationem aut novorum confectionem praecipere, si ita expedire videatur. Episcopi, quibus haec cognitio tribuitur, veri episcopi sunt, non inferiores praelati, etsi propriam habeant dioecesim & quasi episcopalem jurisdictionem, nisi isti speciali sedis apostolicae indulto hac cognitione augeantur (*Concord. loc. cit. n.3. seqq.*). Satis implicatum indicium: & fortasse his pactis conventis ad asylum quod spectat, id tantum profecimus, quod atrociora crimina asylo dejecta sunt, & locorum immunium numerus deminutus.

Quae

Quae crimina apud nos asylo exclusa.

§. XV. Porro pactis conventis multa crimina asylo excluduntur, quae antea eo defendebantur. In primis asylo exclusi sunt incendiarii, quique eis opem aut consilium scienter dederint, quoties dolo malo locum sacrum, aut religiosum, seu quaecunque urbana aut rustica praedia, aut greges incenderint. II plagiarii, hoc est qui per vim aut dolum homines abducunt, secumque retinent, ut pecunia se redimant: quique nuntiis sive litteris sive alias res exposcunt, metum sive mortis sive incendii facientes. III venefici, qui scienter & dolo malo & animo nocendi componunt, venduut, praebent venena, licet effectus secutus non fuerit. IV *assassini*, hoc est, qui mandant aut mandatum suscipiunt ad caedem hominis, quique iis opem aut consilium dant, quamvis mors secuta non fuerit, modo perventum sit ad actum proximum, nempe vulnus. V latrones & grassatores viarum sive publicarum sive vicinalium, licet semel id crimen admiserint, nec ipsas personas laeserint. VI qui noctu quovis instrumento sive arte domus, tabernas, sive alias cellas promtuarias intraverint, subftulerintque tantum, unde poenam mortis mereantur. VII qui simulato curiae nomine noctu domus ingrediuntur, ibique vel furantur, aut vim mulierum honestati inferunt. VIII qui mensae publicae argentariae tabulas, sive syngraphas adulterant, sicut & qui falsa mandata conficiunt, quo depositas in iis pecunias exigant. IX mercatores, qui dolo malo decoxerunt. X quaestores, sive exigendae pecunae fiscalis praefecti, si in rece-

pris

ptis pecuniis id furtum aut fraudem admittant, ut locus sit poenae ordinariae ; ut & publicis argentariis tabernis praefecti ministrique , & publicorum montium ministri , qui in pecuniis aut pignoribus fidei suae concreditis ejusmodi furtum admittunt , ut legitimam poenam mereantur : quo eodem jure censentur , qui universitatum regni pecunias solent conservare . XI. rei laesae majestatis in primo & secundo capite , sed in postrema specie continentur tantum qui ministris ab rege jurisdictionem accipientibus personalem injuriam inferunt . XII qui ab asylo reos abstrahunt aut abstrahi jubent . XIII. qui in locis asyli homicidia , aut mutilationes membrorum , aut alia crimina , quae jure communi poena sanguinis aut triremium vindicantur , ut & ii , qui asylo exeuntes eadem crimina , admittunt . XIV abutentes confugio , quoties auctoritate episcopi in aliam ecclesiam translati , nec se a maleficio abstinent (*a*). Postremo confugio excluduntur depopulatores agrorum , haeretici , litteras apostolicas falsantes , homicidae praemeditati & rei falsae monetae (*b*).

Loca , quae asylum non praestant .

§. XVI, Pactis demum conventis apud nos numerus locorum immunium deminutus est. Etenim asylum amplius non praestant ecclesiae rurales , in quibus eucharistia non servatur , modo non sint paroeciales , aut ad curam animarum addictae : item oratoria vulgo capellae in do-

---

(a) *Concord. loc. cit. n.9. seqq.* (b) *Concord. loc. cit. n. 34. seq.*

domibus privatorum & nobilium exſtructae, etſi publicarum capellarum privilegio nitantur & aditum habeant ad viam publicam: tum etiam capallae arcium caſtrorumque clauſorum, licet in iis euchariſtia cuſtodiatur. Nec aſylo donatur turris campanaria ab eccleſiis & earum parietibus ſejuncta; nec eccleſiae derelictae, ſicut nec horti, viridaria & alia loca eccleſiarum & aedium religioſorum parietibus & clauſtro non comprehenſa; item nec tabernae & domus muris eccleſiarum & monaſteriorum adnexae, licet interius cum ipſis communicent. Domus vero, in quibus habitant parochi aliique eccleſiaſtici, ad curam & cuſtodiam eccleſiarum addicti, gaudent aſylo, modo eccleſiis conjunctae ſint, & interius in eas aditum habeant, refertque parum an etiam ad viam publicam aditus pateat. Ceterum in eccleſiis aſyli ſpatium, quo ſecuritas praeſtatur, non extenditur ultra atrium, quoties muro circúmdatum eſt, porticus, ſcalas & portas tam a fronte quam a latere & adſpectum anteriorem (c).

☞ *Quidquid ſiculi Principes circa Eccleſiarum aſylum ſanxerunt ſequentibus articulis complectemur.*

I. Quamvis in regno nec publicatæ, nec receptæ fuerint tum Bulla Alias *Gregorii XIV. tum Bulla* Ex quo divina *Benedicti XIII., nec Bulla Clementis XII.* In ſupremo juſtitiæ ſolio; *quibus permulta doctrinarum capita, circa localem immunitatem pertractantur; nihilo tamen ſecius ex Regio Caroli*

(a) *Concord. loc. cit. n. 26. ſeqq.*

roli Barbonii diplomate ſub die 29. Auguſti an. 1750. *executoria conceſſa eſt Bullæ Benedicti XIV. quæ incipit* Officii noſtri ; *ſimulque aliis duabus in dicta Bulla relatis nempe Bullis Benedicti XIII.* , *& Clementis XII.*,, quoad illos tantum articulos, qui qualitatem delictorum quæ ab Eccleſiaſtica immunitate excluduntur , & probationum a curiis laicalibus factarum , ſive faciendarum ſuper quibus immunitatis excluſio definiri debet, reſpiciunt ; haud vero quoad alios articulos , qui juribus regiis , regiæque juriſdictioni , atque regiis privilegiis , & moribus opponuntur , antea quomodolibet lædunt ,, *verba ſunt prælaudatæ Regiæ Conſtitutionis , quam una cum Bullis ſummorum Pontificum adeas in T. 5. Sic. Sanct. p. 170. & ſeq.*

II. Ex prædicta Caroli Conſtitutione patet in examine delictorum , quæ jure aſyli privari debent , nec non probationum , quæ in ſimilibus judiciis inſtitui neceſſum eſt , prius Regni leges inſpiciendas , deinde juxta Pontificias Bullas jam regno receptas controverſias omnes finiendas . Eam ob cauſſam ab inſtituto noſtro minimè alienum eſſe ducimus Alfonſi Regis Capitulum 71. *hic exſcribere , eo quod per multa diſputationum capita ex eo definiri queant .* ,, quantum ad Eccleſias attinet, quæ hactenus in eis latitantibus fiduciam præſtare ſolebant ob locorum reverentiam jus comune ſervetur : quo jure agrorum populatores , fractores itinerum (nempe graſſatores) homicidæ ex propoſito , quocumque in loco homicidium perpatretur , delinquentes in quavis ſpecie delicti in Eccleſia, prope Eccleſiam , aut contra Eccleſiam , uti ſacrilegi quibus in eis commorari non convenit , ſed in carcere , ad Eccleſias confugientes receptari prohibentur ; ideo

im-

impunè per officiales loci capi possunt, & juxta eorum demerita puniri. Attendant igitur Ecclesiarum Prælati ut singulorum intra Ecclesiam confugientium caussas inquirant, ut huic nostræ legis convenientia diligentius exequi valeant. „ *Huc usque Alfonsi lex, ex qua colligitur non solum homicidia & mutilationes in Ecclesiis, vel Cæmeteriis perpetrantes aut ex Ecclesia occidentes eos qui extra Ecclesiam sunt, jure asyli privandos esse juxta constitutionem Benedicti XIII.; verum delinquentes in quavis specie delicti in Ecclesia prope Ecclesiam aut contra Ecclesiam ad mentem legis Alfonsi.*

III. Cum vero scelesti homines asylo Ecclesiæ ad facinora perpetranda abuterentur, sapientissimè cautum est nostris legibus, ut qui ad Ecclesiam confugerint eo patrato crimine, pro quo juxta Canones, & leges potius asyli jure privari deberent, possint nomine Ecclesiæ secularibus carceribus mancipari cum advertentia Fisci Patroni Magnæ Regiæ Curiæ. Idem observari præscribitur circa eos qui etsi immunitate frui debeant minis tamen pravoque animo timorem alicui injiciunt, vel qui dum sacro asylo gaudent furta patrent vel alio facinore aliquem lædant. Ad hujusmo[di] autem reos ab Ecclesiis extrahendos brachium Ecclesiasticæ potestatis requiritur; quod ubi ab Episcopis *denegetur ad potestatem œconomicam per Fiscum M. R. C. recurratur. Absque ulla vero pecuniæ solutione prædictum brachium concedendum Confer. T.4. Sic. Sanct. p. 271. & seq.*

IV. Beneficio asyli Ecclesiastici privantur tum publici Nummuariæ mensæ officiales, tum Officiales in publica Triticorum horrea fraudem committentes, uti habetur in T. 6. Sic. Sanct. p. 494. & seq. Asylum non esse impedimento quominus reus contu-

max per ſententiam proſcribatur, declaratur in T. 5. Sic. Sanct. p. 115.

V. Judici Regiæ Monarchiæ competit examen aſyli Eccleſiaſtici, num ſcilicet confugiens ad Eccleſiam reus ſit delicti excepti ab aſylo quoad illas tantum Eccleſias quæ eidem immediate ſubjiciuntur: in cæteris vero etiam regularium Eccleſiis Epiſcopalis poteſtatis eſt. Si vero regulares ſuperiores renuent reum ad ſuas Eccleſias confugientes tradere, Judicis Monarchiæ Brachium per curiam ſecularem imploratur. Videſis T. 1. Sic. Sanct. p. 355. & T. 6. p. 209.

VI. A ſententiis Epiſcoporum ſuper immunitate locali datur appellatio remedio reviſionis ad Tribunal Regiæ Monarchiæ: quod ſi in priori inſtantia cauſa coram Pontificio, regioque Legato acta eſt, dabitur provocatio ad virum Eccleſiaſticum Judicum Tribunalis Conciſtorii ſuffragiis accedentibus. Vid. Siculas Sanctiones in T. 5. p. 201.

VII. Ubi autem Epiſcopus aliquem reum ab Eccleſiæ aſylo excludit, nequit in ſententia clauſulam adjicere, ut ſub pœna cenſurarum teneantur laici officiales cautionem præſtare, ut reum Eccleſiæ reſtituant, ubi in curſu proceſſus indicia ultra torturam purgarentur. Confer hanc legem apud T. 1. Sic. Sanct. p. 530. In hoc articulo derogatum eſt legi Bullæ Benedicti XIV., quæ jubet Epiſcopos legem ponere, ut purgatis indiciis reus Eccleſiæ reſtituatur.

VIII. Adverſus plures ejuſdem delicti reos, qui ad ſacrum aſylum in variis Eccleſiis diverſarum diœceſium confugerunt, localis immunitatis cauſam in una eadem Curia Eccleſiaſtica peragi ſancitur. Idcirco Epiſcopi diœceſium ad quarum Eccleſias confugerunt rei Juriſconſultum uti proprium Aſſeſſorem, qui ſententiam eorum pronunciet, eligere tenentur.

IX.

IX. Tandem Ecclesiæ in castris aliisque militaribus stationibus inclusæ nulla immunitate locali gaudent ex Pontificio diplomate ad Regem nostrum dato. Vid. T. 6. Sic. Sanct. p. 295.

CAPUT XXXIV.

De sepulturis.

Sepultura apud gentes recepta.

§. I. QUamquam non defuerint, qui putarent, nihil interesse, utrum hominum cadavera supra an infra terram putrescerent, & hinc illud, *caelo tegitur, qui non habet urnam*; tamen apud omnes ferme gentes etiam barbaras recepta & probata est mortuorum sepultura: quem gentium morem Grotius (*a*) pluribus illustrat. Indignum certe visum, corpus hominis, qui ceteris animantibus dignitate praestat, a feris bestiis dilaniari & in cibum absumi. Subducenda quoque erant ab hominum adspectu cadavera visu & odore foeda, ac veluti terrae debito soluto, matris operimento tegenda videbantur. Consulendum porro erat animarum quieti, quae ex ethnicorum theologia, quandiu corpora erant insepulta, incertae errare credebantur, *inops inhumataque turba* (*b*). Quaecumque vero fuerit caus-

(a) *Grotius de I.B. ac P. lib. II. cap.* 19. (b) *Virgil. Aened. VI. v.* 325.

caussa inductae sepulturae, ipsum sepeliendi officium non tam personae, quam humanitati praestari creditum est. Et hinc nec inimicis, nec hostibus invidenda videbatur sepultura; nullum enim cum victis certamen & aethere cassis, nec odia etiam cum humanitate fovenda erant (*a*): & si quis in insepultum cadaver incideret, saltem ei terram iniicere debebat (*b*).

Varii sepeliendi modi.

§. II. Varii autem apud gentes sepeliendi modi obtinuerunt. Condiebant Aegyptii mortuos, eosque domi servabant. Alii cadavera uti erant, humo obruebant: & alii inprimis Graeci & Romani cadavera cremabant & cineres sepeliebant. Humanior & antiquior mos apud gentes humatio, qua integra corpora humo tegebantur, videtur fuisse (*c*). Vstionem cadaverum & sepeliendorum cinerum usum militiae necessitas & putrescentium cadaverum multitudo videtur induxisse: qui mos semel usurpatus, inde moribus Graecorum & Romanorum receptus est, accedente praesertim veterum superstitione, qua credebant, igne excoqui sordes animorum, atque elementi levitate facile animos in caelum attolli (*d*). Per plura saecula apud Romanos ustio cadaverum stetit, etsi interim plures etiam humationem usurparent: tandem vero fortasse a Commodi imperatoris aetate sensim cadavera cremari desierunt; Commodus enim ipse

(a) *Confer. Grotius loc. cit.* §. 2. *n.* 6. & §. 3.
(b) *Confer. Dempsterus paralipom. ad Rosin. lib. V. cap. ult.* (c) *Cicero lib. II. de legibus.* (d) *Gravina de jure natur. & gent. cap. LXXVIII.*

ipſe & multi ex ejus amicis per humationem ſepulti ſunt (*a*). Vlpiani aetate frequens erat humatio, ſepulcrum enim ille ita definit, *ubi corpus oſſave hominis condita ſunt* (*b*). Adhuc tamen ſub Theodoſio M. cremationis aliquis uſus ſupererat (*c*) ſed inde per omnia deſiit, & humatio iterum recepta eſt.

Chriſtiani humatione uſi.

§. III. Quod vero ſpectat ad chriſtianos, ii omni tempore pium & religioſum habuerunt mortuos ſepelire; at rejecta crematione, humationem uſurparunt: idque quia humatio benignior & humanior eſſet, & praeſertim in ſpem futurae reſurrectionis. Chriſtiani enim mortuos ſuos omnino extinctos non credebant, ſed potius uſque in diem domini ſomno ſopitos (*d*). Hinc quo tempore in chriſtianos ethnici ſaeviebant, nihil quidquam injurius iis accidere poterat, quam ſi ethnici hanc ipſis decentem humationem denegarent, uti aliquando fecerunt, vel exponendo eorum cadavera immanibus belvis vel rapacibus avibus, vel ea cremando, & cineres in flumina vel ventos ſpargendo in futurae reſurrectionis riſum & contemtum (*e*). Saepe vero chriſtiani prius cadavera condiebant & poſtea terrae mandabant. Hinc ethnicus ille apud Minucium Felicem vitio vertit chriſtianis, quod corpora, dum vivant, odoribus non honeſtent, ſed funeribus un-

(a) *Confer. Bingh. orig, eccleſiaſt. lib. XXIII. cap.* 2. §. 4. (b) *L. II.* §. 1. *D. de religioſ. & ſumt. funer.* (c) *L. VI. C. Th. de ſepulcr. violat.* (d) *Prudent. hymn.* X. (e) *Euſeb. lib. V. cap.* 1.

ungventa reservent (*a*). Condiendi cadaverum usus ab Judaeis in christianos videtur derivatus (Judaei enim unguentum in funeribus adhibebant (*b*)), eumque etiam necessarium fecit sepultura saepe data in locis, quo ad divinum cultum conveniebant, ut conditis cadaveribus omnis foetor abesset.

Sepulcra apud Romanos extra civitates.

§. IV. Apud Romanos sive corpora ipsa, sive eorum cineres urnis clausi sepelirentur, extra urbes sepulcra posita erant; qui mos praesertim posterioribus saeculis etiam apud Graecos obtinuit (*c*). Satis antiqua est lex XII tabularum, *hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito*. Tantum qui legibus soluti erant, veluti ob virtutem clariores viri & imperatores & vestales in urbe sepeliebantur. Postea mos extra urbem mortuos sepeliendi intermitti coepit, & hinc eadem lex Duillio consule relata est, & ab Hadriano, Antonino Pio & Diocletiano confirmata, & ad reliquas Orbis Romani urbes sive municipia extensa est (*d*). Extra urbes vero sepulcra plerumque ponebantur ad vias publicas, cujus instituti rationem hanc Varro adsignat (*e*); *quo praetereuntes admonerent, se fuisse & illos esse mortales*. Sepeliebant vero Romani

---

(a) *Minuc. Felix in Octavio*. (b) *Joan. XIX. 29 & 40.* (c) *Confer. Potter. archaeol. lib. IV. cap. 7.* (d) *L. III. §. 5. D. de sepulcr. viol.*, *Capitol. vit. Antonini Pii*, *l. XII. C. de religios. & sumtib. funer. Confer. Savaro in Sidon. lib. III. ep. 12.* (e) *Varro de lingua Lat. lib. V.*

mani extra urbes, *ne funestarentur sacra civitatis*, inquit Paulus jurisconsultus (*e*). Nimirum ethnicis persuasum erat, diis superis sacrata loca solo adspectu vel contactu rei funestae contaminari, polluique etiam sacerdotes, si vel funus viderent, vel funeris domum ingrederentur, quod Iac. Gothofredus observat (*f*). Erant autem sepulcra ista plerumque privata, perpauca publica: haec tamen necessaria erant propter pauperes, agris destitutos, quorum sepulturae locus publicus, quem *puticulorum* nomine designabant, inserviebat, quod Kirchmannus (*g*) docet. Sepulcris istis sola cadaveris illatione religio accedebat, & locus ipse fiebat religiosus: quod ethnicorum theologia postulabat. Ethnici animabus divinos honores exhibebant, quod probat Gutherius (*h*), immo deorum numero adscribebant, easque ibi potissimum oberraturas credebant, ubi cadaver olim animae habitaculum conditum erat: ac ita sepulcra loca religiosa reputabantur.

Etiam christianorum sepulcra extra urbes.

§. V. Primis quoque saeculis christiani corpora suorum fratrum etiam extra urbes sepeliebant: nec enim quod leges publicae ceteris civibus denegabant, christianis poterant permittere. Hinc veteres scriptores de sepulcris & monumentis martyrum tamquam extra urbes consti-

(a) *Paul. lib I. sentent. tit.* 21. §. 2. (b) *Jacob. Gothofr. in l. VI. C. Th. de sepulcr. viol.* (c) *Kirchman. de funer. Roman. lib. II. cap.* 14. (d) *Guther. de jur. man. lib. I. cap.* 18.

ſtitutis in agris aut viis publicis loquuntur. Pace ecclesiae data idem institutum perseveravit, stantibus publicis legibus, quae urbanas sepulturas interdicebant. *Omnis civitas*, inquit, auctor quidam antiquus sub nomine Chrysostomi (*a*), *omne castellum ante ingressum sepulcra habet*. Et Theodosius M. invalescentem Constantinopoli urbanam sepulturam interdixit, & quae in urbe sive supra terram urnis clausa, sive sarcophagis corpora detinebantur, extra urbem transferri jussit, *ut humanitatis instar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio sanctitatem* (*b*). Quas rationes bona fide ab antiquis Romanorum legibus Theodosius videtur descripsisse: etenim secunda ethnicam sapit theologiam. Sexto saeculo etiam in Gallia sepulcra erant extra civitates (*c*). Interim longe lateqne diffusa christiana religione, sensim invaluit urbana sepultura: sensim enim christianis concesso, ut prope ecclesias etiam urbanas eorum corpora quiescerent, una opera sepulturae urbanae admissae sunt: qui mores saeculo octavo & in Oriente & in Occidente iam recepti erant: eisque vim addidit Leo Sapiens, qui antiquam legem de sepeliendis extra urbem cadaveribus abrogavit (*d*).

Qui invaluit in ecclesiis sepultura.

§. VI. Extra urbes dum fratrum suorum corpora sepeliebant christiani, id procul dubio facie-

(a) *Chrysost. hom. XVII. de fide.* (b) *L. VI. C. Th. de sepulcr. violatis.* (c) *Conc. Bracarense I. circa an. IↃLXIII. can. XXXVI.* (d) *Leo sapiens novel. LIII.*

ciebant vel in privatis sepulcris, vel in fornicibus & catacumbis: quae loca dicebantur *cryptae* & *arenaria*, quod in arenarum profunda defoderentur, & *coemeteria*, quasi loca quietis & dormitionis. Incognita antiquis christianis fuit in ecclesiis sepultura, eaque post pacem ecclesiae datam sensim coepit invalescere; quod christiani apud martyres, quorum reliquiae in ecclesiis conditae erant, post mortem quiescere pium & religiosum, & eos sibi demerendos aptum arbitrabantur. Hinc peculiari privilegio imperatoribus Constantino M., Teodosio M., Arcadio & Thodosio juniori datum est, ut in vestibulo ecclesiae apostolorum, in urbe regia extructae, eorum corpora quiescerent (*a*). Et hoc ipso tempore in aliquibus ecclesiis praesertim Nolae & Mediolani christiani vel in ipsis ecclesiis vel in earum exedris sepeliebantur: quod apertis argumentis Muratorius probat (*b*). Id vero precipue intelligendum de ecclesiis extra urbes, quae tum plures erant: nam in urbanis ecclesiis cadavera humari tum non licebat, quod leges publicae urbanas sepulturas interdicerent. Successu temporis aucta christianorum vota, quibus post mortem martyribus sociari cupiebant: atque ita saeculis sexto & duobus sequentibus fideles laici in plerisque Occidentis ecclesiis in atrio vel porticu ecclesiarum sepeliebantur (*c*);

(a) *Euseb. lib. IV.de vit. Constant cap.*71., *Chrysost. hom. XXVI. in 2.ad Cor.*, *Nicephor. lib. XIV. cap.* 58. (b) *Murator. anecd. Latinor. diss. XVII.*
(c) *Conc. Bracar. I. can. XXXVI.*, *conc.Nannatense can. VI.*

at interim reges, episcopi, abbates, digni presbyteri & laici sanctitate conspicui in templis condebantur (*a*). Inde nono saeculo ferme episcoporum & parochorum arbitrio datum est decernere quosnam in ecclesiis sepeliri dignos putarent (*b*): qua ratione cuique christiano facile fuit a rectoribus ecclesiarum, tum ad rem avidioribus, sibi in templis dormitionis locum impetrare. Ita contra veterem disciplinam receptus mors cadavera in ipsis ecclesiis inhumandi, adeo ut sepulcra etiam familiaria in iis exstruerentur. Ceterum receptis in ecclesia sepulturis non bene viventibus consultum est: nam in locis conclusis aër afficitur tetris cadaverum particulis, quibus respirationi & vitae noxius evadit.

Coemeteria loca sepeliendis christianis addicta.

§. VII. Quamvis autem a pluribus saeculis passim christianis omnibus sepultura in ecclesiis permissa sit; tamen etiam in nova disciplina fidelium dormitioni potius coemiteria quam ecclesiae videntur destinata. Sane passim cavent synodi recentiores, ut fideles in coemeteriis sepeliantur, tantumque selectis christianis, qui vel Deo sacrati sunt, vel dignitate, vel virtutibus, vel nobilitate eminent, dormitionem in ecclesiis concedunt (*c*). Et concilia Mediolanensia sub S. Carolo (*d*) & rituale Romanum jussu Pauli V. editum sepeliendi in coemeteriis morem, ubi viget, re-

(a) *Conc. Moguntin. can. LII.* (b) *Conc. Meldense can. LXXII.* (c) *Conf. Espenius part. II. tit. 38. cap. 2. n. 37. seq.* (d) *Conc. Mediolan. I. par. II. cap. 61.*

retineri jubent, restitui vero ubi intermissus est. Sunt coemeteria loca religiosa episcopali benedictione ad fidelium sepulturam addicta, & ipsis ecclesiis ut plurimum adhaerentia. Illatione cadaveris locus apud Romanos fiebat religiosus, at apud christianos diversa obtinet theologia, & coemeteria episcopali consecratione religiosa fiunt, idque ex antiqua disciplina; sexto enim saeculo sepulcra solebant consecrari (*a*). Coemeteria ut plurimum ecclesiis adhaerent; at satius est extra urbes transferri, & in locis apertis constitui, ut relinquant incolarum domicilio sanitatem. Non secus ac ecclesia coemeterium polluitur, praesertim per excommunicati sepulturam (*b*): quo casu reconciliandum est, sed prius cadaver effoditur, & foras eiicitur: quin si ecclesiae adhaereat, ea polluta illud etiam pollutum censetur, non contra (*c*). Ceterum in locis ubi coemeteria ab ecclesiis distincta nulla sunt, sepulcra in choro, aut majori capella, aut prope altaria concedi non debent (*d*).

Christiani in loco profano non sepeliendi.

§. VIII. Apud Romanos cuique licitum erat in suis privatis fundis sibi sepulcrum excitare, qui locus inde illatione cadaveris fiebat religiosus. At christiani in loco sacro seu religioso sepeliendi sunt, & si quis sibi ad dormitionem locum profanum seligat, electio ista tamquam turpis & chri-

(a) *Gregor. Turonens. de gloria confessor. cap. CVI.*
(b) *Can. XVII. D. 1. de consecr.* (c) *Cap. un. de consecr. eccles. in 6.* (d) *Confer. Ferrariensis de non sepeliendis mortuis prope aras.*

ſtianis moribus adverſa reſpuenda eſt (*a*). Intereſt enim fidelium in locis ſacris & religioſis ſepeliri: proſunt enim defunctis preces in coemeteriorum benedictione ad Deum fuſae, quibus eccleſia fidelibus ibi ſepeliendis peccatorum remiſſionem & ſpem beatae reſurrectionis adprecatur Sancti quoque, qui in ſacris locis coluntur, & fideles, qui ad ea veniunt, pro fidelibus ibi ſepultis preces fundunt (*b*). Quibus aliiſque rationibus turpis chriſtianis habetur in loco profano ſepultura, ac ideo non permittenda. Etiam jure Romano turpes & ineptae de ſepulturis teſtatorum voluntates remittuntur, veluti ſi teſtator juſſerit, reliquias ſuas proiici in mare, aut ſepeliri cum veſtimentis ſericeis, margaritis, aut variolis (*c*): nec enim omnis teſtator ſapit. Quin ex decretali Innocentii II ſive III tantum apud eccleſias paroeciales & monaſteria, non in privatis oratoriis permiſſae erant ſepulturae (*d*). Cui juri Bonifacius VIII. obrogavit, qui etiam in privatis oratoriis ſepulturae electionem conceſſit (*e*): nomine enim loci *minus religioſi*, in quo electam ſepulturam ſuſtineri voluit, privatum oratorium intellexit, illudque minus religioſum dixit, quod in eo non adeo frequenter ſacra myſteria celebrantur.

Se-

(a) *Cap. III ex. de ſepult. & ibi Gonzalez.* (b) *Auguſt. de agenda cura pro mortuis cap. ult., can. XVII. C. 13. q. 2.* (c) *L. ult. §. ult. D. de auro & argento. Confer. Donellus lib. VIII. comment. cap. 12.*

(d) *Cit. cap. III.* (e) *Cap. II. §. ult. de ſepult. in 6.*

Sepultura eccleſiaſtica pars chriſtianae communionis.

§. IX. Jam vero eccleſiaſtica ſepultura quatenus loco ſacro & exſequiis conſtat, pars eſt eccleſiaſticae communionis, in qua defuncti deceſſerunt. Etenim qui vivi cum eccleſia communicabant, etiam mortui in communione perſeverant,. Quo illud Leonis M. ſpectat (*a*), *quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus*. Eccleſiaſtica communio *in communicatione orationis & conventus & omnis ſacri commercii* conſiſtit, ut loquitur Tertullianus (*b*), eaque quo uſque chriſtiani viverent, variis ſignis declarabatur, praeſertim oblationis ad altare, ſollemni recitatione nominum ſi non omnium offerentium, ſaltem eorum, qui pinguiora munera obtuliſſent, admiſſione ad ſacratiores preces & euchariſtiae perceptione. Non diſſimili ratione defuncti, qui in pace eccleſiae deceſſerant, cum eccleſia communicabant. Sane mortui cereis accenſis & ſollemni pſalmodia in eccleſiam deducebantur (*c*): inde eorum nomine ad altare fiebant oblationes, eorumdem quoque nomina in altari de more recitata, & in ſacrificio peculiares preces pro defuncto factae. Tantum euchariſtia defuncti non donabantur, quod ea vivis, non mortuis prodeſſet, quamvis cum ipſis defunctis ſepeliri conſueverit (*d*).

(*b*) .

---

§. 6. (a) *Leo M. ep. XCII. ad Ruſtic. cap.* 6. (b). *Tertull. apol. cap. XXXIX.* (c) *Chriſoſt. hom. IV. ad Hebr., conſtit. apoſtol. lib. VI. cap.* 30.

Haec cum mortuis communio in nova disciplina religiose colitur, manentque deinceps in ecclesiae communione, qui in ea mortui sunt, nisi quis post mortem excommunicetur: eoque spectat celebratio exsequiarum; in quibus ecclesia preces & sacrificium pro defuncto offert, & continua mortuorum in missae sacrificio commemoratio.

Christiani in propria paroecia sepeliendi:

§. X. Quae quum ita sint, celebratio exsequiarum ad ecclesiam paroecialem pertinet, & in ea ejusve coemeterio ex generali juris canonici regula paroeciani sepeliendi (*a*), ut quisque defunctus cum ea ecclesia communicet, cui vivus adhaesit, & in qua caelesti pabulo refici consuevit. Paroeciani autem in caussa sepulturae sunt, qui in finibus paroeciae ita morantur, ut vivi sacramenta in ipsa percipere & parochi ipsis administrare teneantur. Hinc peregrini in paroecia, ubi eos decedere contingit, sepeliuntur, si commode ad suam paroeciam efferri nequeant (*b*). Monachi autem & religiosi (*c*), ut & eorum oblati (*d*), in monasterii ecclesia vel coemeterio sepeliendi sunt: ipsis enim loco paroeciae monasterium est. Oblati monasteriis erant, qui se & sua monachis offerebant, qua oblatione etsi veri monachi non fierent; nihilominus de familia monasterii censeban-

(a) *Cap. III. ex de sepult., cap. II. eod. in 6.*
(b) *Cap. V. eod. in 6.* (c) *Cap. ult. eod. in 6.*
(d) *Cap. IV. & X. ex. de sepult.*

bantur, abbati obedientiam promittebant, & a monasterio victualia consequebantur, quod Cangius observat (*a*). Similiter canonici in ecclesia capituli habent sepulturam, etsi in alia paroecia degant, ei enim ecclesiae vivi adhaerebant. Et generatim moribus receptum est, ut beneficiarii in ecclesiis suorum titulorum tumulentur. Quod si contra interdictum clerici vel monachi parochianum alienum usurpent, & in sua ecclesia vel coemeterio sepeliant; humatum cadaver, ubi petitur, effodi pontifices statuunt & propriae ecclesiae restitui (*b*). Et quamvis cineres non inquietandos non christianorum modo, sed & gentium sententia fuit; tamen eorum translatio ex justa caussa & a judice probata permittitur (*c*); quo jure etiam Romani vtebantur, qui cinerum translationem pontificali decreto transferebant (*d*).

Nisi habeant majorum sepulcrum:

§. XI. Paroecialis sepultura duobus casibus jure decretalium cessat, puta si exstet majorum sepulcrum, & si quis sibi vivens elegerit sepulturam. Et ad primum quod spectat, solent sanguine conjuncti sepulcra optare communia (*e*), qua ratione apud plerasque gentes sepulcra familiaria obtinuerunt. Romani familiaria sepulcra ab hereditariis distinguebant, illa enim quisque sibi & familiae, ista vero sibi & heredi-

---

(a) *Cangius in gloss. v.* oblati. (b) *Cap. V. ex. de sepult.* (c) *Confer. Gonzalez in cit. cap. V.*
(d) *L. vlt. D. de mortuo inferendo.* (e) *Cic. lib. I. de offic.*

dibus constituebant (*a*). Sepulcra majorum eadem ac familiaria videntur esse, ac proinde in iis quiescendi qnilibet de familia jus habet, hoc est adgnati omnes, quin quotquot ex primo adquirente descendunt, modo ejus haec voluntas fuerit. In ecclesiiis majorum sepulcra invaluerunt, statim ac in iis humatio permitti coepit, quod christiani sibi & familiae suae quiescendi locum habere apud sanctos pium & religiosum duxerint. Quoniam vero quisque apud majores suos quiescere intendit, hinc existente majorum sepulcro cessat paroecialis sepultura, & quisque de familia in eo sepeliendus est (*b*), quasi ex tacita sepulturae electione: idque Romani pontifices probarunt exemplo patriarcharum veteris testamenti (*c*), qui ad patres suos apponi cupiebant (*d*). Ceterum adquiruntur sepulcra familiaria vel ecclesiae fundatione, vel episcopi concessione, quod fieri solet largo auri pondere oblato.

Aut nisi sepulturam sibi selegerint.

§. XII. Cessat quoque paroecialis, quin & familiaris sepultura, si quis sibi locum dormitionis selegerit. Etenim jure canonico puberibus, etiam uxoribus (*e*) & filiisfamilias (*f*) libere licet sibi seligere extra paroeciam vel sepulcrum majorum sepulturam, modo ecclesiam, coemeterium vel saltem locum religiosum constituant: nam electio-

(a) *L. V. D. de religios. & sumtib. funer.* (b) *Can. II. C.* 13. *q.* 2. (c) *Cap. I. & III. ex. de sepult.*
(d) *Genes. XLVII.* 30., *& XLIX.* 29. (e) *Cap. VII. ex. de de sepult.* (f) *Cap. IV. de sepult. in* 6.

ctio in loco profano tamquam turpis & christianis moribus adversa respuenda (*a*). Electio enim sepulturae veluti res spiritualis censetur, cui nec patria potestas officit. Quod si mulier sepulturam sibi non elegerit, in mariti sepulcro sepelitur (*b*): & si plures maritos habuerit, humanda est in sepulcro ultimi viri, cujus domicilium detinet & honorem (*c*). Impuberes autem ob consilii inopiam, & religiosi, qui propriae voluntati renuntiarunt, eligendae sepulturae facultate carent: impuberi vero filio ipse pater seliget, modo id loci consuetudo patiatur (*d*). Haec autem optio sepulturae videtur esse species religiosi mandati post mortem implendi, non actus ultimae voluntatis proprie sic dictae (*e*); ita vero fieri debet, ut sive scripturis sive testibus probari queat. Frequentes esse coeperunt electiones sepulturae extra paroeciam postquam ecclesiis & coemeteriis monachorum & regularium jus sepeliendi privilegiis pontificum concessum est. Nimirum ad lucrandas oblationes, quas christiani ecclesiis suae dormitionis relinquere consueverunt, monachi & inde mendicantes variis artibus bonos piosque christianos coeperunt allicere, ut in monasteriis sepulturam sibi constituerent. Quam perversam praxim Clemens IV in primis hoc epiphonemate taxavit (*f*);

(a) *Cap. III. ex. eod.* (b) *Can. II. & III. C.* 13. *q.* 2. (c) *Cap. III.* §. 2. *de sepult. in* 6. (d) *Cit. cap. VII.* (e) *Confer. Espen. par. II. tit.* 28. *cap.* 3. *n.* 30. *seq.* (f) *Ap. Martene tom. II. anecdot. p.* 397.

Utinam volucres nunquam super cadavera consedissent. Ceterum electio sepulturae omnino libera esse debet, & fraude aut quavis arte extorta nulla est: hinc vel ipsum cadaver, si petatur, effodiendum & restituendum est, & restituenda etiam intra decennium emolumenta omnia occasione sepulturae quomodolibet percepta, quod Bonifacius VIII. constituit (*a*).

Exsequiae fiunt in paroecia alibi sepulto cadavere.

§. XIII. Quibus vero casibus extra paroeciam, sive in sepulcro familiari, sive in electa sepultura defuncti inhumentur, exsequiae in propria ecclesia celebrandae sunt. Jure enim sepulturae extra paroeciam conceso, exsequiae ecclesiae paroeciali reservatae sunt, ut ita in precibus cum ecclesia sua defuncti communicarent. Sane summi pontifices dum jus sepeliendi mendicantibus concesserunt, ea formula usi sunt, *salva justitia ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora adsumuntur* (*b*): nomine autem *justitiae* veniunt omnia Jura ecclesiae paroecialis, in primis exsequiae (*c*), quae *justa* Latinis dicebantur. Quae disciplina in Gallia & Belgio servatur, & ita clerus propiae paroeciae cadaver tollit, & ad paroeciam defert, ubi missa pro defuncto peracta, itidem parochus cum suo clero cadaver tollit, exhibetque superiori ejus loci, in quo vivus sibi elegit sepulturam (*d*). Sed in Italia cadavera ali-

(a) *Cap. I. de sepult in 6.* (b) *Cap IX. ex de sepult.* (c) *Confer. Gonzales in cap. VIII. eod.*

(d) *Confer. Espen. part. II. tit. 38. cap. 5. n. 15. seqq.*

alibi sepelienda ad paroeciam deferri non solent; at antequam domo educantur, per parochum benedicenda sunt, nec sine eo ad sepulturae locum efferenda: quod S. C decreto comprehensum est.

Vetitae pro exsequiis & sepultura exactiones.

§. XIV. Pro exsequiis & concedendo sepulturae loco ecclesiae ministris aliquid exigere non licet. Pia & religiosa officia gratis ecclesiae ministros oportet exhibere, & grave nimis visum est pro terra putredini concessa pretium quaerere & de alieno luctu quaestum facere (*a*): in quam sententiam quamplures canones conditi sunt (*b*). Quin nec obtentu inolitae consuetudinis licet pro exsequiis & sepulturae loco aliquid exigere, quod concilium Turonense sub Alexandro III & Lateranense sub eodem decreverunt (*c*); quae recte inculcant eo graviora esse peccata, quo diuturniora. Videntur pro sepulturis exactiones tum praecipue coepisse, quando in atriis ecclesiarum & in ipsis ecclesiis mos sepeliendi invalescebat: magni tum faciebant fideles ad martyrum sedem sepeliri: quam pietatem episcopi minus religiosi in quaestum verterunt. Quo autem exsequiae gratis fierent, nec earum occasione heredes defunctorum expensis gravarentur, Constantinopoli inde usque e Constantino M. munificentia imperatorum certi reditus funerum expensis addicti sunt (*d*). Hinc

(a) *Gregor. M. lib. VII. ep.* 56. (b) *Confer: Christ. Lupus diss. de simonia cap. XII. tom.* 4. *edit. V.* (c) *Cap. VIII. & seq. ex. de simonia.* (d) *L. XVIII. C. de sacros. eccles., novel. LIX.*

ecclesia Constantinopolitana inter alia officia habuit *decanum*, qui reditus funeribus addictos procurabat, funera curabat omnia, & cuique ad illa operanti portionem tribuebat suam (*a*). Utinam vero in omnibus ecclesiis essent peculiares reditus funeribus addicti, unde exsequiae, praesertim pauperum, sine heredum sumtu fierent! hac enim ratione nulla esset clericis occasio de alieno luctu lucrum faciendi. Quamquam si verum dicere velimus, sunt in eam rem ex ecclesiae sententia ubique reditus addicti: tantum dolendum, eos ex mente ecclesiae non procurare. Quid enim aliud sunt bona ecclesiarum, quam reditus in usus pauperum impendendi?

Oblationes pro defunctis receptae.

§. XVI. Verum enimvero quamvis ecclesia trupe & nefarium duxerit, clericos ex exsequiis & terra putredini concessa quaestum facere; semper tamen tanquam pias & religiosas probavit spontaneas oblationes, quas vel defuncti ipsi reliquissent, vel cognati aut amici eorum nomine facerent (*c*). Oblationes istae ad altare in veteri disciplina deferebantur, iisque declarabatur, fideles in ecclesiae communione mortuos esse: & in sacrificio speciatim fiebant preces pro defuncto, cujus nomine oblationes ecclesia recepisset. Hinc oblationes morti vicinis commendatae, tamquam efficax remedium ad peccatorum

(a) *Confer. Jac. Goar not. in euchologium.* (c) *Cypr. ep. LXVI. al. I. ad cler. Furnit.*; *Gregor. M. lib. VII. ep. 56.*

rum expiationem: *Offerat*, inquit Salvianus (*a*), *vel moriens ad liberandam de perennibus poenis animam suam*. Sed non omnium defunctorum oblationes ecclesia recipiebat, sed tantum eorum, qui in ejus communione decessissent. Qui vivi indigni habiti ecclesiastica communione, nec mortui ea donabantur, ac proinde eorum oblationes ecclesia reiiciebat. Quod si poenitentes subito morerentur reconciliationis cupidi; eorum oblationes pleraeque ecclesiae post mortem recipiebant, tamquam reconciliationis testimonium (*b*): at ecclesia Romana Leonis M. tempore stricte regulam servabat, quibus non communicavimus vivis, nec mortuis communicare debemus (*c*).

Oblationes pro defunctis in consuetudinem versae.

§. XVII. Oblationes istae defunctis diu sola offerentium voluntate steterunt; at post saeculum decimum in laudabiles abierunt consuetudines, quibus post exsequias cogi possunt heredes ad consuetas oblationes. Atque haec sunt jura funeraria, quae parochis debentur propter sacramentorum administrationem & curam animarum. Saeculo nono & sequentibus pleraeque ecclesiae paroeciales nullos status reditus habebant, quod earum bona, etiam ipsae decimae, vel ad monachos, vel collegia canonicorum, vel laicos devoluta erant: quo factum, ut ad alendos altaris ministros necessitas ipsa quodammodo coëgerit

(a) *Salvian. lib. I. advers. avarit.* (b) *Conc. Arelat. II. can. XII., conc. Tolet. XI. can. XII.* (b) *Leo M. ep. XCII. ad Rustic. cap. 6.*

rit pias offerendi consuetudines constabilire. Hinc Innocentius III. in concilio generali Lateranensi vetat quidem pro sacramentis & aliis religiosis officiis clericos quidquam exigere, at simul a fidelibus servari praecipit pias oblationum consuetudines (a). Ceterum in juribus funerariis & fideles & parochi modum tenere debent suum: fideles, quoties possunt, offerant ecclesiae matri consuetas pro defunctis oblationes, cogitentque profecto iis ecclesiasticam communionem, in qua defuncti decesserunt, designari: contra parochi ne sint rigidi jurium sepulturae persecutores, sed potius exsequias & sepulturam sponte celebrent tribuantque, accepturi deinceps oblationes non tamquam laborum aut sepulturae pretium, sed veluti vitae sustinendae medium. In primis humani & liberales sint in pauperes, nec praetextu jurium non solutorum sepulturam differant, quod sapit barbariem ipsis ethnicis exosam & contenti juribus consuetis ea augere non curent. Ad evitandas lites & sordidas pactiones synodi aut reges hujusmodi oblationibus modum limitemque finierunt, & ubi de novo iis modus statuendus sit, id sine civilis potestatis auctoritate faciendum non est.

Quae sit quarta funeraria.

§. XVII. Quod si quis extra ecclesiam paroecialem sepeliatur, puta quia alibi habeat sepulcrum majorum, vel quia apud mendicantes sibi locum dormitionis selegerit; paroeciae *quarta funeraria* seu *canonica* debetur: certa nempe portio

---

(a) *Cap. XLII. ex. de simonia.*

tio oblationum & legatorum, quae ecclesiae, ubi sepelitur, occasione sepulturae defunctus reliquerit. Justum visum fuit ex obventionibus funerariis, quae ecclesiae sepulturae adquiruntur, tribuere aliquid ecclesiae paroeciali, quae spiritalem curam defuncto, dum vixit, impendit, eique loco matris fuit (*a*). Ac sane jus sepulturae monasteriis pontifices concesserunt, *salva justitia ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora adsumantur* (*b*): & justitiae nomine & exsequiae & pars relictorum ecclesiae supulturae veniunt. Portio ista non est ubique eadem, sed alibi medietas, alibi tertia, alibi quarta integra pro locorum moribus (*c*), & interim semper *quarta* dicitur. Detrahitur vero ex omnibus oblationibus & relictis occasione sepulturae (*d*): quin in Clementinis statutum est, ut sepultura apud mendicantes electa, deducatur quarta ex *obventionibus omnibus tam funeralibus, quam quibuscumque & in quomodocumque relictis* etiam ad certos usus, etsi de jure portio canonica de istis obventionibus dari non deberet: item ex donatis in morte (*e*). At jus hoc nullibi ferme servatur, iamque locorum consuetudines aut pacta conventa passim habent, ex quibus oblationibus & relictis quarta ejusque quantitas deducenda sit. Illud certum est, in quartam non imputari ecclesiae paroeciali factas oblationes; eam e-
nim

(a) *Cap. I. ex. de sepult.* (b) *Cap. IX. ex eod.*, *bul. Honorii III.* religiosam, *bul. Sixti IV.* mare magnum. (c) *Cit. cap. IX.* (d) *Cap. I. & VIII. ex eod.*
(e) *Clement.* dudum *de sepultur.*

nim paroeciae debet ecclesia, ubi defunctus sepelitur (*a*). Cadit vero ecclesia paroecialis sibi debita canonica portione triginta aut quadraginta annorum praescriptione cum titulo, vel immemorabili tempore sine titulo, quod pluribus docet Barbosa (*b*).

☞ *De 4. funeraria vide dicta in notis ad tit. de Parochis.*

Quibus denegatur ecclesiastica sepultura.

§ XVIII. Sepultura ecclesiastica soli fideles, qui in ecclesiae communione decesserunt, donantur; est enim veluti pars christianae communionis, quae etiam post mortem manet. Contra denegatur omnibus, quibus vivis communicare non licuit. Itaque ecclesiastica sepultura privantur infideles (*c*), Judaei & infantes sine baptismo denati; item apostatae, schismatici, qui hoc nomine publice convicti sint, aut palam haeresim profiteantur, aut ab ecclesia recesserint; item excommunicati, qui ex nova disciplina ut tales denuntiati sint, aut palam clericum sive monachum percusserint (*d*); & nominatim interdicti, quippe qui & ipsi ab ecclesiae ingressu prohibiti sunt (*e*). Porro non donantur ecclesiastica sepultura, qui in mortali peccato decessisse videntur, quales qui sibi mortem consciverunt (*f*), nisi id insania contigerit; qui praeceptum annuae confessionis & paschalis communionis non im-

---

(a) *Espen. par II. tit.* 38. *cap.* 5. *n.* 33. (b) *Barbosa de off. parochi per III. cap.* 25. (c) *Can. XXVII. seq. D.* 1. *de consecrat.* (d) *Extravag. Martini V. ad evitanda.* (e) *Cap. X. ex. de sepult. & cap.* XVII. *x. de V. S.* (f) *Can. XII. C.* 23. *q.* 5.

impleverunt (*a*), monachi mortui in peculio (*b*), fures & latrones in crimine occisi (*c*), mortui in *torneamentis* (quae erant nundinae seu feriae, in qua milites ex condicto conveniebant ad virium suarum ostentationem), etsi poenitentiam acceperint (*d*); pugnantes in duello eorumque *patrini*, ut appellantur (*e*), Item usurarii manifesti, nisi ante mortem eos usurarum poeniteat & de restituendis usuris caveant (*f*); raptores & violatores ecclesiarum, etsi in extremis agentes & sua peccata detestantes viaticum accipiant, nisi restituendis ablatis caverint (*g*); & ut paucis dicam, omnes manifesti & publici peccatores, qui sine penitentia decedunt, christiana sepultura & precum fructu carent. Quod si horum aliquis contra ecclesiae sententiam in loco sacro tumuletur, effodiendum est cadaver, ubi discerni potest, & procul ab ecclesia in loco profano sepeliendum (*h*): quo distamus a moribus gentium, apud quas ubi aliqui ob crimina privabantur sepultura, inhumati feris dilaniandi relinquebantur. Vltimum supplicium passi si condignam poenitentiam egerint secundum aliquos canones christiana sepultura donari possunt (*i*): quod intelligendum quatenus civiles le-

(a) *Cap. XII. ex. de poenit. & remiss.* (b) *Cap. VI.ex. de statu monach.* (c) *Cap. II. ex. de furtis.* (d) *Cap. I. ex. de torneam.* (e) *Trid. sess. XXV. de ref. cap.*19. (f) *Cap. II. de usur. in* 6. (g) *Cap. II.ex.de raptorib.* (h) *Cit. can. XXVII., cap. XII. ex. de sepultur.* (i) *Can. XXX. C.* 13. *q.* 2.

leges & recepti mores eorum humationem permittant,

☞ *Cum omnia, quæ de jure communi sepulturas spectant a Siculis nostris Synodis observari præcipiantur, nihil addendum nobis creditur, nisi quod Excel. Proregis Principis Caramanici jussu nuper editum est. Die enim 31. Augusti 1787. mortuorum omnium Cadavera quæcunque in Ecclesiis extra urbem positis tumulari præcipitur, exceptis tamen Archiepiscopis Parochis, & Monialibus ex regio indultu sub die 29. Martii 1783. nec non Cathedralis Ecclesiæ Canonicis, ac Beneficiatis, Parochiarum Capellanis, Ecclesiarum Sacramentalium Rectoribus, Professis Regularibus, Presbiteris Oratorii S. Philippi Nerii, S. Eulaliæ, S. Georgii peculiari ipsius Proregis permissione; qua etiam facultas datur nobilibus titulo insignitis, ipsorumque filiis, & filiabus innuptis in eorum gentilitiis sepulturis tumulari. Die autem 25. Settembris 1787. ut pauperum Cadavera quorum aut heredes, aut cognati ceræ libras duas, & semissim, vel 4. Missarum eleemosinam dictis Ecclesiis extra urbem sitis offerre minime possint in Cœmeteriis sepeliri sancium est.*

CAPUT XXXV.

De monasteriis.

Monasteria primum in solitudinibus constituta:

§. I. LOcis religiosis accensentur etiam *monasteria* & *hospitalia*. Et monasteria quidem proprie sic dicta initio fuerunt solitariorum habitacula speluncis potius quam habita-

ta-

tationibus similia: instituta vero per Pachomium vita coenobitica, domus, quibus coenobitae habitabant, coenobia nempe, monasteria etiam dicta sunt. Monasteria ex monasticis institutis in solitudinibus & montibus procul ab urbibus initio constituta: idque postulare videbatur perpetua poenitentia & ascesis, cui monachi se addicebant: planctus enim & luctus requirunt solitudinem. Hinc illud Hieronymi de monachis, *quid desideramus urbium frequentiam, qui de singularitate censemur* (a). Et Antonius anachoretarum illustrator dicere solebat, monachos ali solitudine, non secus ac pisces aquis (b). Nec tantum virorum, verum etiam mulierum coenobia initio in solitudine fuerunt. Certe Chrysostomus memorat choros virginum in solitudinibus Aegyptiacis viventes (c). Testis quoque est Hieronymus, Marcellam ejusque filiam Principiam, quod vitam monasticam amplexae essent, urbe exiisse, & suburbanum agrum illis fuisse monasterii loco, & rus electum pro solitudine (d).

Inde etiam in urbibus.

§. II. Verum enimvero lapsu temporis etiam in civitatibus, aut prope eas monasteria constitui coeperunt, idque primum fidei & ecclesiae servandae caussa factum est. Etenim Basilius M. monachos a solitudinibus eduxit & in urbibus Ponti eorum domicilia constituit, ut catholicae fi-

(a) *Hieronym. ep. IV. ad Rustic.* (b) *Apud Sozomen. lib. I. cap.* 13. (c) *Chrysostom. hom. VIII. in Matth.* (c) *Hieronym. ep. XVI. ad virgin. Principiam.*

fidei contra Arianos ſuppetias ferrent (*a*). Quo prodito exemplo deinceps etiam ubi nulla neceſſitas urgebat, monaſteria nonnulla in urbibus vel prope eas excitata ſunt. Interim Theodoſius M juſſit, monachos *deſerta loca & vaſtas ſolitudines ſequi atque habitare* (*b*); qua edita lege antiquum inſtitutum de monaſteriis in ſolitudine excitandis renovatum eſt: & praeterea cautum, ne monachi ex ſilvis in civitates commearent: etenim ea tempeſtate monachi frequentes in civitates veniebant, & per drungos & vi armata eccleſiaſticam & civilem pacem ſaepe turbabant. Sed conſtitutio iſta non diu ſtetit; poſt biennium ab eodem Theodoſio abrogata eſt, ac liber in urbes monachis ingreſſus factus eſt (*c*). Ceterum ſequenti aetate qui in Occidente monaſticam diſciplinam ſuo nitori reſtituerunt, antiquiores monachos imitantes, in ſolitudinibus ſuas primas ſedes collocarunt, ut ita melius poenitentiae vacarent. Mendicantes antem contra ab initio in urbibus & oppidis aut non longe ſedes poſuerunt ſuas, quod eorum inſtituto conveniebat: qui enim epiſcopis & parochis in animarum cura procuranda adiutorio ſunt, procul dubio in civitate, non ſecus ac ipſi clerici, domicilia debebant habere.

Monaſteria non aedificanda ſine epiſcopi conſenſu.

§. III. Ubicumque vero conſtituantur nova monaſteria & regularium aedes, praecedere debet

(a) *Socrat. lib. IV. cap.* 26., *Sozomen. lib. VI. cap.* 17. (b) *L. I. C. Th. de monach.* (c) *L. II. C. Th. eod.*

bet episcopi, in cujus dioecesi constituuntur, consensus. Et initio quidem monasticae vitae quando monachi tantum in solitudinibus degebant, nec frequentius in civitates commigrabant, etiam inscio episcopo videntur excitata monasteria, quae nihil aliud erant quam laicorum piorum & ascetarum simul viventium habitacula. Inde quum coepissent monachi ad civitates monasteria condere, quin civilibus & ecclesiasticis rebus se immiscere easque turbare, in concilio Chalcedonensi statutum est, *nullum quidem usquam aedificare aut construere monasterium ... praeter consensum episcopi civitatis* (*a*): quam disciplinam sequentes canones (*b*) & Justinianus novella lege (*c*) confirmavit. Exortis mendicantibus in novis fratrum conventibus excitandis magis necessarius erat episcopi consensus: ex sua enim institutione mendicantes contra regulas & naturam monachatus episcopis & parochis in animarum cura procuranda veluti auxiliares copiae accesserunt, ac ita contra receptum in ecclesia ordinem esse videbatur, novos mendicantium conventus episcopis insciis & invitis excitare. Itaque Tridentini patres antiquam confirmarunt regulam, ne praeter episcopi veniam monasteria ulla sive virorum sive mulierum erigantur (*d*). Quin ex legibus & moribus provinciarum nec libet nova aedificare monasteria, nisi civilis etiam po-

(a) *Conc. Chalced. can. IV.* (b) *Conc. Agathense can. XXVII., conc. Epaonense can. X.* (c) *Novel. V. cap. 1.* (a) *Trid. sess. XXV. de regularib. cap. 3.*

poteſtas adſentiatur: quod ſane juſtum eſt: civilis enim poteſtatis eſt territorium, nec in eo aliquid invito domino licet (*a*).

Obſervanda in novi monaſterii conceſſione.

§. IV. Novo autem monaſterio ſeu conventui excitando ſub certa forma licet epiſcopis conſentire, quae decretalibus Clementis VIII & Gregorii XV ſtatuta eſt (*b*). In primis conſtare debet, novos colonos ſine veterum incommodo poſſe ſuſtineri: & hinc antequam epiſcopus adſenſum praebeat, advocandi & audiendi ſunt priores ſeu procuratores antiquorum monaſteriorum ſeu conventuum, quae eo loci, ubi nova domus conſtruenda eſt, & in aliis vicinis locis per quadraginta paſſus, exiſtunt. Audiendi quoque incolae loci, qui novo monaſterio in comitiis coacti adſenſum praeſtent: praeſertim vero audire oportet parochum, in cujus paroecia novum monaſterium aedificatur, maxime ſi novi coloni mendicantes ſint: quum enim mendicantes auxilio parochorum eſſe cenſeantur, non audito parocho procul dubio non admittendi (*c*). Eccleſiae enim paroeciales ſunt, quibus fideles communicare oportet, & receptis mendicantibus fidelis populus, quod experentia compertum eſt, a paſtore ſuo multum diſtrahitur: ac proinde ſine parochi adſenſu nova mendicantium domus non concedenda. Praeterea nullius monaſterii per-

(a) *Confer. Paulus Sarpus in conſiderationib.*

(b) *Clementes VIII. bul.* quoniam ad inſtitutum *XCIX. & Gregor. XV. bul.* quum alias *XXXI.*

(c) *Confer. Eſpen. par. I. tit. 24. cap. 3. n. 9. ſeq.*

permittenda aedificatio est, nisi in eo saltem duodecim monachi seu religiosi inhabitare, ac ex reditus & consuetis eleemosynis sustentari valeant: quod ad regularem observantiam promovendam Gregorius XV (*a*) ex veteri Occidentalium regula constituit (*b*). Et demum monasteria monialium in urbibus & oppidis excitanda sunt, ne moniales malorum hominum praedae & aliis facinoribus exponantur (*c*).

Forma monasterii.

§. V. Novi autem monasterii fabrica ex antiquis institutis non incohabatur, nisi prius in loco episcopus preces funderet, & salutis nostrae signum, crucem nempe, humi figeret (*d*): qui ritus etiam in exstruendis ecclesiis obtinebat. Domus vero ita efformanda est, ut vitae communi conveniat. Et monasteria quidem in Aegypto habebant privatas cellas, quibus coenobitae philosopharentur. *Manent*, inquit de iis Hieronymus (*e*), *separati, sed junctis cellulis*. At deinceps in Oriente monasteria non amplius esse coeperunt cellulis distincta, sed unam, duasve domus habuerunt, in quibus coenobitae continuo simul viverent, & sua quisque exedra seu cubili dormirent (*f*). Postulare videbatur vita coenobitica, ut monachi sibi invicem semper essent honestatis & virtutis testes, & virtutum com-

(a) *Gregor. XV. bul. cit.* (b) *Tomass. de benef. part. I. lib.* 3. *cap.* 69. *n.* 13. *seq.* (c) *Trid. ses. XXV. de regul. cap.* 5. (d) *Justinian. novel. V. cap.* 1. (e) *Hieronym. ep. XXII. ad Eustoch. cap.* 15. (f) *Cit. novel. V. cap.* 3.

comparatione alii alios superare studerent. At circum coenobia ut plurimum aedificatae erant variae cellae, in quas ex licentia abbatis perfectiores coenobitae discederent. Cellas ista ἡσυχαστήρια *loca quietis* Justinianus appellat: locus vero cellis interspersus *laura*, quasi copiosus & multus, dictus est. Ex antiquo enim Basilii M. instituto vita coenobitica & solitaria simul adiunctae sunt (*a*), atque ita prope coenobia exstrui oportebat lauras, quae essent eremitarum, seu *inclusorum*, ut posteriores Latini dixerunt, habitacula. Tantum emeriti coenobitae in lauras discedebant: solitaria enim vita durissima est: quique soli vivunt, facile corrumpuntur, nisi in sanctis meditationibus occalluerint. Et merito Aristoteles observavit, hujus generis philosophos aut bestias esse, aut deos (*b*). Hodie Occidentis monasteria variis cellis secum invicem adjunctis constant, quibus adiacet medianum, quod omnibus euntibus commune est. Tantum Camaldulenses laurae speciem habent, sed carent communi domo.

Monasteria episcopo subiecta, nisi exemta sint.

§ VI. Monasteria autem omnia & monachi potestati episcoporum, in quorum dioecesi posita sunt, subsunt, non secus ac reliqua loca sacra & religiosa. Quapropter episcopi eadem invisere & corrigere possunt, si religiosos a sancto proposito deflectere comperiant (*c*), aliosque in iis a-

(a) *Confer. superius dicta par. I. cap.* 36. §. 11.
(b) *Aristot. lib. I. politicor.* (c) *Cap. XIX. ex de officio jud. ordin., cap.* 8. *ex de relig. domib.*

actus ordinis & juriſdictionis eccleſiaſticae exercere (a). Sed a pluribus ſaeculis monachi & monaſteria, & inde mendicantes a poteſtate epiſcoporum exemta ſunt, & uni pontifici parere coeperunt, quod alias fuſius dictum eſt (b). Quibus exemtionibus ruina diſciplinae monaſticae promota eſt, & ordo hierarchiae turbatus, adeo ut monſtro ſimiles viſi ſunt B. Bernardo eccleſiaſtici gradus, qui a ſuperioribus ſuis ſubtracti capiti conjunguntur, non ſecus ac ſi digitus non proxime manui, ſed capiti adnecteretur (c). Pluries de his exemtionibus abolendis tractatum, at nunquam abolitae: tantum in comitiis Tridentinis temperatae ſunt, pluribus in eam rem editis decretis. Nimirum monaſteria, quibus laicorum ſpiritualis cura adnexa eſt, quod ſpectat ad curam animarum, epiſcopis locorum ſubiecta ſunt (d). Epiſcopis quoque tamquam apoſtolicae delegatis commiſſa monaſteria monialium ἀμέσως pontifici ſubiecta (e). Illis etiam jure delegato data monialium omnium exemtarum clauſura (f). Epiſcopi quoque etiam tamquam apoſtolicae ſedis delegati quotannis inviſunt monaſteria commendata, ubi neglecta jacet clauſtralis diſciplina (g). Inſuper epiſcopis ſubjecta ſunt jure delegato monaſteria omnia exempta, quae in congregationem cum aliis monaſteriis ſtato

(a) *Can. X. C.* 16. *q.* 1., *can.I. XXVIII. ſeq. C.* 18. *q.* 2. (b) *Part. I cap.* 41. (c) *S. Bernard. lib. III. de conſid. cap.* 4. (d) *Trid. ſeſ. XXV. de regular. cap.* 11. (e) *Trid. loc. cit. cap.* 9. (f) *Trid. loc. cit. cap.* 5. (g) *Trid. ſeſ. XXI. de ref. cap.* 8.

tempore non coaluerint (a). Ad haec ab Urbano VIII episcoporum potestati subjecta fuerunt monasteria tum recens erecta, vel de novo erigenda, in quibus saltem duodecim monachi seu religiosi non sint (b). Satis ampla canonum farrago, quorum copia facultas canonica laborat, at parum promota ecclesiastica disciplina.

CAPUT XXXVI.

De hospitalibus.

Variae hospitalium species.

§. I. SUnt hospitalia proprie sic dicta aedes ad hospites & peregrinos excipiendos; at passim eo nomine veniunt loca quaelibet recipiendis & alendis pauperibus, infirmis aliisque miseris, qui aliena ope indigent, destinata. Hinc hospitalia sunt varii generis, quae nominibus propriis apud veteres designantur, veluti *xenodochia*, quae sunt peregrinorum hospitia; *ptochotrophia*, ubi aluntur pauperes debiles, qui proprio labore sibi victum ob corporis infirmitatem quaerere nequeunt; *orphanotrophia*, ubi pueri parentibus orbati educantur; *brephotrophia*, quae infantium educationi inserviunt; *nosocomia*, ubi infirmi curantur, & *gerontocomia*, ubi pauperes senes aluntur. Quibus addendae *leprosariae*, ubi leprosi separatim ab aliis (quod lepra morbus contagiosus esset) curabantur, aedes ad ex-

(a) *Trid. sess. XXV. de regular. cap.* 8. (b) *Urbanus VIII. const. XLIII.* §. 14.

excipiendos igne facro correptos, militum valetudinaria, furioforum clauftra, viduarum hofpitia atque id genus alia. Sed non femper & ubique fejuncta haec tam varia pauperum & miferorum hominum omnis generis receptacula habebantur: nam in unum plura faepe erant colligata; nec quod fpeciale nomen habebant, inde fequitur, reliquos miferos femper exclufos fuiffe. Etenim *xenodochium*, quod vi vocis denotat peregrinorum diverforium, etiam fignificat aedes ad infirmos, orphanos & debiles excipiendos, quod Muratorius (*a*) pluribus productis monumentis probavit.

Origo hofpitalium apud chriftianos.

§. II. Summa femper fuit ecclefiae cura in fovendis & recreandis pauperibus miferifque hominibus, qui aliena ope & auxilio indigerent: quo pietatis officio pro ratione facultatum fuarum chriftiani omnes adftringuntur. Hinc inter epifcoporum officia id etiam fuit pauperes & miferos alere & fovere: in quem ufum bona ecclefiaftica praefertim funt impendenda. Quamdiu imperium penes ethnicos fuit, nullae fuerunt aedes ad excipiendos & fovendos pauperes & infirmos (nec enim id per noftrae religionis hoftes licuiffet); fed epifcopi ipfi diaconorum minifterio pauperum, aegrotantium & miferorum hominum curam gerebant. Inde data chriftianis pace ftatim ab epifcopis aut aliis chriftianis peculiares aedes ad miferos & pauperes recipiendos exftructæ, ut eo melius hoc pietatis opus

(a) *Murator. diff. XXXVII. antiq. Italicar.*

exerceretur. Sane Basilius M. extra urbem episcopalem admirabili magnificentia πτωχοτροφεῖα, pauperum scilicet diversoria, aedificanda curavit (a). Tum Romae nosocomium Fabiola (b), alibi alii hujus generis aedes excitarunt. Praesertim vero in his locis caritatis extruendis & dotandis christiani Occidentales octavo & sequenti saeculo inclaruerunt. Nam ferme omnia monachorum & canonicorum monasteria aedes ad excipiendos pauperes, infirmos, peregrinos habuerunt adnexas, & praeterea christianorum pietas multa alia ejus generis diversoria fundavit. Sed de hospitalibus proprie sic dictis aliquid in specie monere oportet.

Observationes de hospitalibus in specie dictis.

§. III. Antiquis Graecorum & Romanorum moribus nulla fuerunt publica hospitalia, in quae iter facientes diverterent. Hinc apud antiquos hospitalitas maxime commendata, & hospites sub certorum deorum patrocinio esse credebantur: praecipue vero hospitibus Jupiter praeerat, cui inde ξένιυ *hospitalis* cognomen inditum (c). Viri tamen honestiores jus hospitii apud amicos habebant, atque ita iter facientes hospitio ab eis excipiebantur, cujus rei caussa tesserae hospitales erant comparatae (d). Inde Romæ non ignotae fuerunt tabernae meritoriae, sed si quae fuerint, adventu barbarorum desierunt. Quum vero

---

(a) *Gregor. Nazianz. orat. XX.* (b) *Hieronym. epitaph. Fabiolae.* (c) *Confer. Potter. in archaeol. lib. IV. cap. 21.* (d) *Confer. Thomas. de tesser. hospitalib.*

ro christiani officia humanitatis summopere excolerent, vel a primis saeculis fuerunt hospitales, eoque officio praecipue episcopi adstringebantur. Hospitio autem excipiebantur & pauperes & divites, quod, deficientibus tabernis meritoriis, erat necessarium. Immo per leges Caroli M. omnes peregrinis hospitium praebere debebant, *ut neque dives, neque pauper peregrinis hospitiu denegare audeant* (a). Frequentes jam octavo saeculo erant sacre peregrinationes, atque hinc publicis legibus videbatur peregrinorum hospitio consulendum. Excipiebant episcopi & monachi peregrinos, receptosque sive pauperes sive divites alebant: at ceteri tantum domum, focum & aquam illis praebere tenebantur. Interim in tanta peregrinorum copia plura xenodochia aedificata sunt, quibus peregrini omnes propter Deum exciperentur & alerentur. Romae quarto saeculo xenedochium Pammachius aedificavit (*b*). Post saeculum vero septimum monasteria ferme omnia monachorum & canonicorum etiam xenodochia ante portas, saepe etiam ab iis longe posita, habuerunt. Episcopi quoque, qui primum domo mensaque sua hospites exceperant, peculiares aedes hospitales aedificarunt. Et ut magis consuleretur peregrinis, plura xenedochia ad montium cacumina & ripas fluminum, quae pontibus carebant, excitata, quod Muratorius observat (*c*).

An-

(a) *Capitul. an. IↃCCCII. ap. Balut.* (b) *Hieronym. ep. ad Pammach.* (c) *Murator. diss. XXXVII. antiquit. Italiae.*

Antiquiora hospitalia ferme destructa.

§. IV. Quis vero crederet? tot loca pia ab episcopis, canonicis, monachis & ceteris fidelibus liberali manu exstructa saeculo decimo & deinceps maximam partem defecerunt. Sane quae in canonicorum monasteriis fundata erant, dissociata communi vita, sensim parum curata, & qui ad ea pertinebant, reditus alienati. Et lapsa monastica disciplina domus hospitales monasteriorum non diu steterunt, quamvis non defuerint monasteria rigidiora, quae colerent hospitalitatem. Multi quoque tam clerici quam laici importunis precibus & praesenti pecunia, aliquando etiam per litteras papales & mandata principum hospitalia occuparunt, & bona neglectis pauperibus & miseris in rem suam converterunt, quod synodus Arelatensis anno CIↃCCLX testatur (*a*). Ad haec, multae domus hospitales bellorum motibus, aliae episcoporum ignavia & rectorum rapacitate extinctae sunt. His aliisque caussis saeculo decimo & sequentibus sensim evanuerunt pleraque pia loca, quae in miserorum & pauperum levamen pietas christiana induxerat. Itaque ea aetate coeperunt in Occidente tabernae meritoriae, quae sensim multiplicatae sunt: qua ratione etiam ipsa hospitalitas decrevit. Et ad miserorum levamen summi imperantes & alii divites christiani, saepe etiam insciis episcopis, novas hospitales domus aedificarunt, quod Muratorius

(a) *Conc. Arelatense can. XIII.*

rius (*a*) obſervat. Interim inſtituti ſunt mendicantes: at iſti quod emendicato pane viverent, antiquos monachos in excitandis miſerorum hominum diverſoriis imitari non potuerunt. Et quamvis inde eorum plerique bonis aucti ſint, non tamen de excitandis domibus hoſpitalibus curarunt; quin (quod merito dolendum) non admodum hoſpitales audiunt.

Hoſpitalia vel religioſa vel profana ſunt.

§. V. Hoſpitalia autem generatim ſic dicta vel religioſa vel profana ſunt. Religioſa epiſcopi auctoritate, profana injuſſu ejus fundata ſunt. Quibus notis religioſas & profanas hoſpitales domus meliores interpretes diſtinguunt (*b*), idque convenienter pontificum decretalibus, quae tantum religioſas habent domus hoſpitales auctoritate epiſcopi exſtructas (*c*). Quod ſi dubitetur de epiſcopi adſenſu, eum adhibitum fuiſſe non probat oratorium, quod in uſum hoſpitalis auctoritate epiſcopi conditum eſt; nam potuit hoſpitale ſine autoritate epiſcopi conſtitui, etſi pro ſacello auctoritas ejuſdem fuerit neceſſaria. Immo nec adſenſum ſacrum certo demonſtrant conſuetae epiſcopi viſitationes, ei ſoli redditae rationes & ei ſoluta jura epiſcopalia (quamvis multi talibus argumentis religioſam qualitatem arguerint); nam quis ignorat, epiſcopos ſollicitos fuiſſe ad ſuam juriſdictionem ampliandam? Ceterum non defuerunt, qui loca pia omnia, etſi re-

(a) *Muratorius diſſert. XXXVII. antiq. Italicar.*
(b) *Confer. Gonzalez in cap. IV. ex de religoſ. domib.* (c) *Cap. IV. ex de religioſ. domib.*

religiosa, a laicis administrata profana dixerint: contra religiosa, quae clerici procurárent (*a*). Quae sententia apud nos certo jure nititur, utpote quae pactis conventis inter Benedictum XIV summum pontificem & Carolum olim regem nostrum confirmata (*b*), puto ut certa nota de hospitalium qualitate constaret.

Olim hospitalia omnia episcopis subjecta:

§. VI. Hospitales autem domus omnes ex veteri disciplina episcoporum potestati subsunt. Statuit enim synodus Chalcedonensis, ut clerici ptochodochiis praefecti episcopo, in cujus civitate sunt, subiaceant (*c*). Justum profecto erat, ut qui ab initio religionis pauperum separatim viventium curam habuerant, iidem hospitalibus domibus praeficerentur. Auctoritas autem ista episcoporum origine sua ecclesiastica erat, qua sacris in usum miserorum celebrandis, & tamquam boni patresfamilias temporalibus etiam praesidebant; nam civilis & publica in hospitalia potestas politici regiminis erat. Quoniam vero episcopi industrii & navi erant in opera caritatis procuranda, christiani principes iis etiam dederunt publicam in domus hospitales inspectionem. Sane Justiniani legibus judicio episcopi piorum locorum administratores eliguntur, ubi ab ipsis fundatoribus electi non sunt (*d*); episcopus quoque corrigere, immo & expellere potest

(a) *Constantin. Casarus peregr. quaest. lib. I. q. 18.*
(b) *Concord. cap. V.* (c) *Conc. Chalced. can. VIII. ap. Grat. can. X. C. 18. q. 2.* (d) *L. XLII. §. 9., l. XLVI. §. 3. C. de episc. & cleric.*

test officiales etsi a fundatoribus electos (*a*), & jus dicit in officiales, ubi administrationis suae nomine conveniuntur (*b*). Et in alia lege idem Justinianus bona hospitalium bonis ecclesiasticis accenset (*c*). Episcopos quoque legatorum ad pias caussas exsecutores constituit (*d*). Hanc eamdem in domus hospitales episcopi potestatem deinceps canones & regum Francorum capitularia confirmarunt. Nihil vero intererat, clerici ne, an laici domus istas procurarent, an a clericis vel laicis essent exstructae: semper enim erant in episcopi potestate, quando leges civiles id constituerant.

At inde multa exemta sunt.

§. VII. At labentibus annis multae domus hospitales episcoporum potestatem excusserunt, aliae in totum, aliae tantum in temporalibus. In primis hospitalia regum speciali protectioni subnixa ab episcoporum potestate subtracta sunt. Etenim consueverunt fideles quae monasteria & hospitalia fundabant fundisque augebant, speciali regum patrocinio committere, ne eorum bona praedae laicorum cederent: quod nono saeculo iam erat inductum (*e*) Porro hospitalia, quae nulla episcopi auctoritate fundata sunt, veluti loca profana habita & saltem in temporalibus extra episcopi potestatem. Saeculo decimo in summa disciplinae ecclesiasticae corruptione in-

(a) *Cit. l.XLVI.§.3*, (*b*)*Novel.CXXIII.cap.23*.
(c) *LXXIII. C. de sacros. eccles.* (d) *L.XXVIII. C.de episc.& cleric*, (e) *Conc.Ticinense an.IↃCCCL. can. XVI.*

gens fuit hofpitalium clades, nec epifcopi eorum bona tamquam res pauperum procurarunt. Hinc coeperunt chriftiani domus hofpitales infciis epifcopis condere, quae tamquam loca profana & in temporalibus civili poteftati fubjecta habita funt: quae doctrina ipfis pontificum decretalibus proponi videtur: refpondit enim Urbanus III. loca ad excipiendos hofpites & pauperes auctoritate epifcopi deftinata, utpote religiofa, non debere mundanis ufibus deputari (*a*). Multa quoque hofpitalia privilegiis pontificum ab epifcopi poteftate exemta funt, & uni pontifici fubjecta (*b*). Privilegia ifta praecipue ambierunt hofpitalium rectores, ut liberius in rem fuam eorum bona converterent. Viri pii & boni haud timent leges, nec optant fuperiorum jugum excutere, quin potius optant, ut fuperiores in actiones fuas majori ftudio invigilent. Nec defuerunt principes, qui epifcopos penitus excluferunt a temporali hofpitalium omnium adminiftratione, eaque in hac parte laicis judicibus fubjecerunt, quod edictis Francifci I, Henrici II & Francifci II in Gallia factum eft (*c*),

Decreta conciliorum de poteftate epifcopi in hofpitalia.

§. VIII. Interim deminutam epifcoporum in domus hofpitales poteftatem pofteriora concilia curarunt reparandam. Et quidem concilium Viennenfe ftatuit, ut fi hofpitalium rectores five

---

(a) *Cap. IV. ex de religiof. domib.* (b) *Clement. II. de religiof.* (c) *Confer. Thomafs. part. I. lib. 2. cap. 91. n. 8.*

ve clerici sive laici ignavius in administrationem incumbant, episcopi propria auctoritate in sibi subjectos rectores, in exemtos delegata pontificis procedant, & hospitalia reforment & in integrum restituant (*a*). Postea concilium Tridentinum in eamdem rem plura edidit decreta. Primum episcopos invigilare jussit in administratores hospitalium omnes, innovato concilii Viennensis decreto (*b*). Deinde potestatem fecit episcopis; ut etiam tamquam sedis apostolicae delegati in casibus ab jure concessis hospitalia omnia & collegia quaecumque laicorum inviserent, exceptis iis, *quae sub regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia* (*c*). Et demum constituit, ut sive clerici sive laici xenodochiorum administratores quotannis ordinario reddant rationes, nisi in fundatione ipsa aliter cautum sit: si vero consuetudine vel privilegio vel loci statuto aliis ad id deputatis rationes reddendae sint, tunc etiam cum iis loci ordinarius adhibeatur (*d*). His decretis, quod spectat jus visitandi, ab episcopi potestate exemta relicta fuisse hospitalia profana Fagnanus fatetur (*e*): nam Tridentini patres in casibus ab jure expressis jus visitandi hospitalia episcopis faciunt: jure vero decretalium loca pia profana non subsunt episcoporum potestati: at in rationibus reddendis asserit, hospitalia omnia etiam profana episcopis

Hh 2 fuis-

(a) *Clement. II. de religios.* (b) *Trid. sess. VII. de refor. cap.* 15. (c) *Trid. sess. XXII. de ref. cap.* 8. (d) *Trid. loc. cit. cap.* 9. (e) *Fagnan. in cap. IV. ex. de religios. domib. n.* 5.

fuisse subjecta, nisi fundationis leges aliter habeant (a).

Jus nostrum recentius pactis conventis inductum.

§. IX. Decreta ista Tridentina de locis piis, utpote quae jura laicorum invertebant, nec alibi nec apud nos recepta sunt. Hinc de hospitalium in re temporali regimine inter saecularem & ecclesiasticam potestatem frequentes controversiae emerserunt. Tandem vero apud nos controversiae istae pactis conventis inter Benedictum XIV. & Carolum olim regem nostrum compositae & jus certum constitutum. Tres hospitalium species distinctae sunt, una eorum, quae sub regum *immediata protectione* sunt, altera eorum, quae a laicis, & tertia eorum, quae a a clericis administrantur. Ac primum quidem hospitalia, quae sub regum *immediata protectione* sunt, ab episcopi potestate & visitatione etiam in spiritualibus exemta declarantur (b). Illa vero sub *immediata protectione* regum esse dicuntur, quae regiae fundationis & dotationis sunt, vel in ipsa fundatione ex voluntate fundatoris sub eamdem recepta (c). Hospitalia a laicis administrata tantum in spiritualibus ab episcopo visitantur; administrationis vero rationes quotannis reddendae coram ratiocinatoribus de more electis per eos, ad quos electio ista spectat, & persona ad id ab ordinario deputata, quae gratis intersit (d). Data quoque tribunali misto potestas est in loca pia profana exceptis iis, quae re-

---

(a) *Fagnan. loc. n. 54.* (b) *Concord. cap. V. n. 1.* (c) *Concord. loc. cit.* (d) *Concord. n. 1. loc. cit.* & *2.*

regum speciali protectione muniuntur (*a*). Et demum hospitalia a clericis administrata in spiritualibus & temporalibus ab episcopo visitantur (*b*).

Officiales hospitalium saepe clerici.

§. X. Jam vero episcopi aliique, quibus domus hospitales subsunt, eas per se non administrant, sed earum administrationi praesunt. Ergo creandi officiales, qui in tantae pietatis opus incumbant, infirmorum & miserabilium curam gerant, & temporalia procurent. Hujusmodi officiales a Basilio M *oeconomi pauperum* (*c*) ab Justiniano specialiter *xenodochi*, *nosocomi*, *ptochotrophi*,. *orphanotrophi*, *brephotrophi*, *gerontocomi* (*d*), & in canonibus conciliorum *rectores xenodochiorum* & *hospitalium* adpellantur. Quoniam vero hospitalium rectores res pauperum procurant, tales seligendi, qui vita, moribus atque industria inveniantur esse dignissimi. In veteri disciplina hospitalibus saepe praeponebantur diaconi, & hinc illa saepe *diaconiae* dicta sunt, (*e*), quales plures Romae, Neapoli & in aliis civitatibus erant. Antiquae disciplinae convenienter diaconi hospitalibus praepositi, nam illis ex sua institutione mensarum & viduarum cura competebat. Non tamen semper diaconi hospitalibus praefecti, sed saepe etiam presbyteris aliisve clericis, quin etiam laicis, ea cura demandata. Clerici autem isti perpetuo hospitali-

(a) *Concord. loc. cit. n.* 5. (b) *Concord. n* 6.
(c) *Basil. ep. CCCXCII.* (d) *L. XLII.* §. 9. *& L. XLVI.* §. 1. *C. de episc. & cleric.* (e) *Confer. Cangius v.* diaconia.

libus videntur adligati, & hinc diaconi diaconiis praefecti *diaconi cardinales* dicti sunt, quasi suis perpetuum adnexi diaconiis. Quibus non absimiles fuerunt, qui posteriori aetate hospitalia in titulum beneficii acceperunt, nisi quod isti cura pauperum posthabita, saepe in rem suam hospitalium bona verterunt. Hinc vetuit concilium Viennense hospitalia in beneficium dari, nisi in illorum fundatione secus fuerit constitutum, seu per electionem rectores creari debeant (*a*). Itaque ex recentiori disciplina rectores hospitalium meri administratores ut plurimum sunt, creantur aut ab episcopis, si eorum potestati illa subsint, aut ab haeredibus fundatorum, ubi isti hanc curam illis reservaverint, aut ab aliis, quorum potestati hospitales domus commissae sunt.

Multa hospitalia a regularibus administrata.

§. XI. Porro multae hospitales domus sunt, quarum administratio regularibus competit. Optavit olim Gregorius M., ut hospitalibus viri religiosi praeficerentur, *quos judices vexandi non habent potestatem* (*b*). Et hospitalia in monasteriis constituta unus ex monachis aut canonicis, qui dicebatur *hospitalarius*, administrabat. Plures quoque fundatores a se fundata hospitalia per eos regi voluerunt, *qui religiosam vitam duxerint*, ut habet synodus Ticinensis anno ɪↄcccʟ celebrata (*c*). Videbatur hospitalium procurationem rectius procedere, ubi viri, qui christia-
nam

(a) *Clement. II.* §. 2. *de religios. domib.* (b) *Gregor. M. lib. III. ep.* 24. (c) *Conc. Ticinense can. XV.*

nam perfectionem amplexi erant, iis praeficiebantur; qui mores post saeculum decimum magis invaluerunt, quando clerici & laici minus religiosi erant in rebus pauperum procurandis. Etenim ea tempestate quod hospitales domus in monasteriis monachorum & canonicorum pro maxima parte defecerant, institutae sunt praesertim in Occidente multae regulares virorum & mulierum congregationes unice ad miseros in hospitalibus curandos & fovendos, quod Jacobus de Vitriaco testatur (*a*). Vivebant hujusmodi novi regulares in hospitalibus sub praeposito: quin ipsi miseri in hospitalibus saepe religiosam vitam agere debebant (*b*). Ejus generis religiosi initio fuerunt hospitalarii S. Joannis Hierosolymitani & S. Mariae Teutonicorum, qui postea in equestres ordines versi sunt. Quo etiam spectavit ordo S. Antonii Viennensis saeculo XII institutus ad curandos igne sacro correptos. Et demum saeculo XVI. per Joannem de Deo Lusitanum institutus est *ordo caritatis* ad officia erga pauperes & infirmos excolenda. Ceterum in Gallia religiosis, qui non in titulum, sed in meram administrationem hospitalia possident, administratio temporalium ablata est, tantumque iis cura spiritualium & pauperum relicta est, quod Joannes Tornetius testatur (*c*).

Qui

(a) *Jac. de Vitriaco histor. Occidentis cap. XXIX.*
(b) *Confer. Thomassinus par. I. lib. 2. cap. 91.*
(c) *Joan. Tornetius collect. arrestor. litt. H. cap. XXXV.*

Qui in hospitalibus sacra administrant.

§. XII. Nec tantum hospitalibus domibus praeficiendi sunt, qui corporum necessitatibus provideant, verum etiam sacerdotes constituendi, qui spiritualia miseris administrent, eosque in religione instituant. Jure communi pauperes & miseri in hospitalibus recipere debent sacramenta ab ecclesia paroeciali, in qua posita sunt hospitalia (*a*). Et passim hospitalia administrata a laicis manent sub cura parochorum, licet in gratiam pauperum in iis sint exstructa sacella. Ceterum multae ex hisce domibus sunt, quae ad sacra administranda speciales presbyteros habent: quod episcopi aut pontificis privilegio primum inductum est. Sane olim Chrysostomus infirmorum receptaculis a se constructis duos sacerdotes praefecit (*b*), qui non minus temporalia, quam spiritualia videntur procurasse. Et in concilio Chalcedonensi memorantur clerici in ptochotrophiis constituti (*c*), qui dubio procul spitituali administrabant. Hinc in veteri disciplina domus religiosae etiam erant tituli, ad quos clerici possent ordinari (*d*). In nova disciplina hospitalia ordinum religiosorum, quin & nosocomia, in quibus sanctimoniales infirmis curandis vitam religiosam agunt, speciales presbyteros sive privilegio sive pactis conventis sive consuetudine habent. Quod spirituale hospitalium regimen integrum synodus Viennensis reliquit (*e*),

Offi-

(a) *Confer. Espen. par. II. tit. 37. cap. 3. n. 36.*
(b) *Palladius vit. Chrysost. cap. V.* (c) *Conc. Chalced. can. VIII.* (d) *Confer. Christ. Lupus schol. in cit. can. VIII.* (e) *Clement. II. §. ult. de religios.*

Officiales quotannis reddere debent rationes.

§. XIII. Sunt autem hospitalium officiales instar tutorum & curatorum, immo sanctius tutela & cura gerunt officium, utpote qui Dei patrimonium procurant. Itaque juramento ad instar tutorum & curatorum promittere debent fidelem procurationem (*a*). Et singulis annis administrationis suae reddere rationes coguntur (*b*): quo distant a tutoribus, qui demum finita tutela ad reddendas rationes obligantur. Quod si ante redditas rationes moriantur, eorum heredes simili modo & rationibus & exactionibus subjacent, quod novella Justiniani lege cautum est (*c*). Ut vero rationes recte procedant, antequam rectores administrationi se immisceant, *de locorum ipsorum bonis* mobilibus sive immobilibus *inventaria conficiant*: quod concilium Viennense statuit (*d*). Reddendae sunt rationes *ordinariis seu aliis, quibus subsunt loca hujusmodi, vel deputatis ab eis*, ut habet mox laudatum concilium Viennense. At in comitiis Tridentinis cautum est, ut administratores sive clerici sive laici hospitalium aliorumve locorum piorum ordinariis locorum reddere rationes teneantur, nisi in ipsa fundatione secus cautum sit: & quo casu sive ex consuetudine sive privilegio sive peculiari loci lege aliis ad id deputatis illae reddendae sint, etiam cum iis ordinarium adhibendum (*e*). De-

(a) *Clement. II. §. 2. de religios. domib.* (b) *Cit. clement. II. §. 2., Trid. sess. XXII. de ref. cap. 9.* (c) *Novel. CXXIII. cap. 23.* (d) *Cit. clement. II. §. 2.* (e) *Trid. loc. cit.*

cretum hoc utpote potestatem episcopi ad loca laicalia extendens apud nos receptum non est: at demum pacta conventa inter Benedictum XIV & Carolum olim regem nostrum etiam persona ab ordinario deputanda adhiberi debet, ubi rectores laici locorum piorum rationes reddunt, nisi loca illa regiae protectioni ἀμέσως subiaceant (b)

Qui in hospitalia excipiendi.

§. XIV. In id autem sedulo invigilare oportet hospitalibus praefectos, ut in haec infirmorum miserorumque hominum diversoria non alii admittantur, quam qui alieno publicoque auxilio indigent, eoque digni sunt, quales pauperes, debiles, infirmi & miseri omnes, qui propriis laboribus sibi alimenta parare nequeunt. Iniquum profecto est, robustos & corpore validos in hospitalia admittere, & ita tot inutilia pondera terrae alere & publico sumtu sustinere. Sane nemo pauper est, quod nihil possidet, sed quod non laborat: iamque si quis labore suo centum sibi aureos annuos parat, ferme aeque dives est, ac qui ex fundo suo tantundem percipit. Hinc synodi recentiores ab hospitalibus excludunt circolatores, aleatores, nebulones & mendicos corpore validos (c). Immo pertinet ad curam civilis potestatis validos & otiosos homines urbe expellere, aut potius operibus publicis ad laborandum addicere. Et dolendum li-

---

(a) *Concordat. cap. V. n. 2.* (b) *Conc. Mediolan. I. par. III. tit. de pior. locor. administrat., conc. Bituricense an. CIↃIↃLXXXIV. tit. 43. can. 4.*

profecto est, quod contra religionis principia & politicae rationes in multis regionibus corpore validi mendicare permittantur: qua ratione fovetur inertia, & crimina in dies augentur.

Porro in excipiendis miseris leges fundationis servandae, quae qualitates recipiendorum saepe determinat: qua ratione nosocomia infirmis, gerontocomia senibus tantum patent.

☞ *Cum in hisce Canonicis Institutionibus quae ad divinum officium, Dierum Festorum celebrationem, & Jejunia pertinent silentio praetermiserit noster auctor, operae praetium visum est ea ex Compedio Institutionum Canonicarum ejusdem Cavallarii ad calcem hujus Tomi IV. hic subnectere.*

CAPUT XII.

De Divino Officio.

§. I. NOmine *divini officii* venit sollemnis oratio psalmis, hymnis, lectionibus, aliisque precibus Ecclesiae auctoritate contexta, & per statas diei horas tributa, ut laudis sacrificium continenter Deo offeratur. Dictum vero est *divinum officium*, qui veluti summa eorum est, quae christiani erga Deum quotidie debent efficere; Latini enim scriptores id vocant officium, quod quisque pro locorum, temporum, & personarum ratione debet efficere. Quod enim Christus edixit, oportere christianos *semper orare*, Luc. XVIII. v. 1., sapienter Ecclesia certis per diem intervallis publicas orationes haberi

ſtatuit, quaſi ſemper & ſine intermiſſione orarent, qui ſtatis horis alia omnia exercitia deponerent, & ad Deum ſe converterent. Quamvis alias quovis tempore quidquid chriſtiani operantur, Deo auctore incipere & exſequi debent. Ad rem Auguſtinus *tract. IV. iu Jaannem : tota vita chriſtiani hominis ſanctum deſiderium eſſe debet*.

§. II. Pluribus vero aliis nominibus Divinum officium a veteribus appellatur. Et quidem appellatur *curſus eccleſiaſticus*, quaſi divina officia orbem & curſum quemdam conſtituerent, ſingulis diebus percurrendum: *opus Dei*, opus nimirum, quod erga Deum devota mentis actione praeſtare debemus; *penſum ſervitutis*, quaſi officium de ſervitute debita promanans. Quod vero per certas diei horas tributum eſt, paſſim dici conſuevit *horae canonicae*, licet hoc nomine quatuor minora officia diei ſpecialiter veniant. Singulae porro horae dicuntur miſſae, veluti *miſſae matutinae*, *veſpertinae*. Divinum quoque officium Graecis dicitur κανων *regula*, quia certa regula & ordine peragitur; item συναξις, *collecta*, *congregatio*, quia ad opus Dei perſolvendum chriſtiani ſimul conveniebant. Et ab aliis dicitur *pſalmodia*, *agenda*, *ſollemnitas*. V. Cardin. Bona *de divina pſalm. cap. II.* §. 1.

§. III. Quod vero Divinum officium per certas diei horas tributum eſt, pluribus conſtat officiis, quae ſimul adnexa curſum eccleſiaſticum abſolvunt. Sunt autem officia iſta ex jamdiu recepta diſciplina, nocturnum cum laudibus, hora prima, tertia, ſexta, nona, veſpera, & ſic dictum *completorium*. Sed ex his alia ad noctur-

cturnum, alia ad diurnum officium pertinent. Nocturnum officium ex doctiorum sententia tria nocturna & sic dictas laudes complectitur: diurnum vero constat horis prima tertia, sexta, nona, vesperis, & completorio. Nocturna vero & laudes, quae quatuor distincta erant noctis officia (*a*), in unum apud clericos & plerosque monachos tandem coaluerunt, quod *Matutini* nomine designatur (*b*), & quod a clericis seculari-

(a) *Tria nocturna tribus primis noctis vigiliis seorsum celebrari solebant: quod S. Thomas* in epist. I. ad Cor. cap. 14. lect. 6. *&* *Marcellus Francolinus* de horis canonicis cap. VI. *recte observant. Vt quid enim tria nocturna, nisi quod tribus distinctis vigiliis persolvi soleret? Quin aliquot monachorum Occidentalium regulae aperte edicunt, nocturna seorsum celebranda*. Reg. Columbani cap. VIII. *Porro Laudes sic stricte dictae distinctum a nocturnis officium & apud monachos & apud clericos constituerunt. V. Card. Bona* de divina psalmodia cap. V. §. 1. *Primus S. Benedictus tria nocturna videtur conjuxisse: saltem secundum illius regulam* cap. XVI. *uno tempore tria nocturna celebrantur. Et longo post tempore in ecclesia Romana etiam laudes nocturnis adnexae unum continuum officium nocte celebrandum constituerunt, teste Hugone Victorino* de divin. officiis lib. II. cap. 2.

(b) *Matutinum dicitur a* Matuta, *quam Graeci* Leucotheam, *idest albam deam, nos vero* auroram *vocamus, teste Cicerone* Tuscul. lib. I. cap. 12. *Incipit tempus matutinum, ex quo sol infra ho-*

ribus circa finem quartae vigiliae, incipiente crepusculo, (c) celebratur: licet eo nomine saepe veniant solae laudes: quae acceptio magis propria est. V. Card. Bona *de divina psalmodia cap. V.* §. 1.

§. IV. Haec autem stata & sollemnia ad Deum precandum & laudandum officia non omnia ejusdem antiquitatis sunt, sed alia aliis antiquiora: quin eorum multa lapsu temporis novam & a veteri multum diversam formam induerunt. Antiquiora sunt officia nocturna & vespertina: nam vel a primis seculis mos christianis fuit noctu & vespere in coetum convenire & divinas laudes celebrare. In antelucanis coetibus etiam eucharistia celebrabatur, Tertul. *de corona cap. III.* (d): verum labentibus annis eucharistiae celebratione in diem traslata, noctis tempore tantum laudis sacrificium haberi perrexit, quod deinceps in monasteriis perfectionem accepit, & in nocturna & laudes divisum est. Hora prima, quae lucis orto sidere persolvitur, Cassiani tempore in monasterio Bethlehemitico instituta est, ne monachi post laudes, quae incipiente crepusculo matutino solebant celebrari, usque ad tertiam otiosi & somnolenti in cellis jacerent, quando nulla conventus necessitas eos ad orationem com-

---

horizontem exsistens primos lucis radios in nos spargere incipit.

(c) *Crepusculum matutinum idem est ac aurora: atque ideo cum ea incipit & desinit.*

(d) *Eucharistia etiam vespere post agapas primitus celebrata.*

compellebat, teste eodem Cassiano *init. lib. III. cap.* 4. (*e*) Horae vero tertia, sexta, & nona ex saniori sententia in monasteriis cum monastica vita sensim invaluerunt: quod Pearsonius *praelect. II. in acta apostol n.* 3. *seq.* & Bingham. *orig. eccles. lib. XIII. cap.* 9. §. 8. docent (*f*) Et completorium a S. Benedicto institutum est, quo monachi, diei operibus finitis, in unum congregati laudes & preces complerent, & sollemni ratione absolverent. *Reg. S. Bened. cap. XLII.* V. Card. Bona *loc. cit. cap. XI.* §. 1.

§. V. Horae autem canonicae in monasteriis institutae, prima scilicet, tertia, sexta, nona, completorium serius ocius in ecclesiis receptae sunt vel opera monachorum, qui ad episcopatum promoti exemplo vitae monasticae divina officia in ecclesiis ordinarunt, vel opera clericorum, qui in clericatu monastica instituta amplexi

---

(e) *Sunt loca apud veteres patres, quae habent, mane orandum esse. Sed de matutinis ante lucem precibus intelligenda sunt. Et quî alias possunt intelligi, quando, Cassiano teste, hora prima, quae orto iam sole persolvenda est, nondum erat instituta?*

(f) *Veteres patres veluti Clemens Alexandrinus* strom. VII. *Tertullianus* de jejun. cap, X *&* *Cyprianus* de orat. dominica *adserunt etiam tertia, sexta, & nona horis christianos orasse, sed qui loca diligentius expenderit, animadvertet, potius de privatis, quam de publicis precibus esse accipienda: quod pluribus in* commentariis de jure canonico *exsecuti sumus.*

xi ſunt. In nonnullis Orientis eccleſiis ſeculo quarto & quinto praeter matutinas & veſpertinas preces etiam in aliis horis publici conventus habiti & preces peractae. Conc Laodic. *can. XVIII.*, *conſt. apoſt. lib. VIII. cap.* 34. Sed in Occidente horae canonicae ſeculo octavo & ſequenti una cum clericorum vita generatim in omnibus eccleſiis receptae ſunt (*g*): regulae enim canonicis datae ex regulis monaſticis magnam partem depromtae ſunt. Quin ſollemnis horarum celebratio non tantum in eccleſiis cathedralibus & in aliis, ubi erant clericorum collegia: verum etiam in paroeciis invaluit, *cap.* I. *ex de celebrat. miſſarum*.

§. VI. Iam ſingulae divini officii partes ſtatis diei horis addictae ſunt, ita ſcilicet ut per intervalla celebrentur, nec profecto licet ea tempora negligere, quo chriſtiani continenter orent. Quod ut rite fiat, totius diei naturalis diviſionem ab antiquis inſtitutam ſcire oportet (*i*). Antiqui diem ut & noctem in quatuor aequales partes dividebant, quarum ſingulae ternas conti-

(h) *Initio ſeculi ſexti Caeſarius Arelatenſis inſtituit, ut clerici in S. Stephani baſilica tertiam, ſextam, & nonam cantarent, ut Cyprianus epiſcopus Turonenſis in illius vita teſtatur. Et in eccleſia Turonenſi Injurioſus epiſcopus tertiam & ſextam anno circiter* IↃXXX *inſtituit: quod ex Gregorio Turonenſi Mabillonius* de curſu Gallic. *probat.*

(i) *Dies naturalis una caeli circumvolutione, atque ideo nocte & die conſtat. Contra artificialis tempus complectitur, quo ſol ſupra horizontem verſatur.*

tinebant horas. Quae quidem diei & noctis partes apud milites interdiu *stationum*, noctu *vigiliarum* nomine veniebant, teste Vegetio *de re militari lib. III cap.* 8. Singulae porro diei & noctis partes in sphaera recta erant aequales, sed in obliqua fere erant majores & minores, prout dies & noctes longiores & breviores erant. Ternae vero horae in singulis quatuor diei artificialis partibus olim pro una hora accipiebantur, & ab ultima hora inclusa nomen accipiebant (*i*). Et ita quae hora tertia a priscis scriptoribus nominatur, non praecise de tertia hora, sed & de prima & secunda intelligi debet, adeo ut tertiae horae nomine totum tempus ab ortu solis per integram horam tertiam comprehendatur. V. Card. Bona *de divina psalm. cap. III.* §. 4. Cui civili horarum divisioni in tribuendis divinis officiis Ecclesia se accommodavit.

§. VII. Atque ex his facile constat, quo tempore ex Ecclesiae regulis divina officia oportet celebrari. Tria nocturna de veteri more tribus primis noctis vigiliis seorsum solebant celebrari, laudes vero quarta vigilia illucescente crepusculo. Sed tria nocturna in unum officium coaluerunt, nocturnum officium a monachis vel

(i) *Ita horae nomine apud veteres veniebant non tantum duodecim partes, in quas tam dies, quam nox dividebantur; sed etiam singula majora diei artificialis segmenta. Hodie majorum horarum in divino officio recitando tantum usus est: & usu civili jam obtinet, ut integrum diei naturalis tempus in viginti quatuor aequales horas tribuatur.*

media nocte, vel hora secunda post mediam noctem, matutinum vero illucescente aurora jure celebratur: apud clericos vero, qui laudes nocturnis adnexas habent, integrum noctis officium mane etiam illucescente crepusculo celebratur. Prima iam lucis orto sidere, tertia, sexta, & nona horis respondentibus, vesperae decima, vel undecima hora, & completorium post solis occasum persolvi debent: ita tamen ut pro more ecclesiarum tertia, sexta, & nona integro earum horarum spatio recte persolvantur. Sed hac in re quod spectat ad vesperas nova a veteri disciplina multum distat: apud veteres enim vesperae erant officium post solis occasum, & accensas in ecclesia candelas celebrari solitum (*k*): sed instituto & recepto in ecclesiis completorio, quo, sole occidente debet celebrari, vesperae ad decimam vel undecimam horam translatae sunt. Porro lapsa magis magisque jejunii disciplina vesperae in quadragesima fictione canonica circa meridiem, aliis vero diebus circa horam nonam solent celebrari (*l*).

§. VIII.

(k) *Sane Graecis hoc officium dicitur* λυχνιον, *quasi eo tempore celebratum, quo lumen accendi solebat: & Latinis eodem sensu dicitur* lucernarium,

(l) *Quod in obliqua sphaerae positione horae in quibus sacra officia debent celebrari, singulis ferme diebus crescunt, vel decrescunt, Marcellus Francolinus, vir vere doctus, in fine operis* de horis canonicis *tabulas generales dedit, totius Europae usui accommodatas, ad cognoscendas veras horas, cui-*

§. VIII Et id quidem de publica & sollemni horarum canonicarum celebratione: sed quod spectat ad privatam, etiam congruum est Ecclesiae menti, si statis horis persolvantur. Ecclesia enim in certas horas diurnas atque nocturnas totum divinum officium distribuit, ut saepe & in omnibus diei partibus Deum laudemus, & ut ad nos ipsi crebro redeuntes, ab externis tumultibus animum ad Deum revocemus. V. Bellarmin. *de bonis operib. lib. I. cap.* 18. Ex caussa vero plures horae simul conjungi & recitari possunt: quo casu melius est divini officii tempus praevenire, quam differre: quia illud providentiae, hoc negligentiae est, ut S. Antoninus *par. III. tit.* 13. *cap.* 4. §. 4. recte observat. Curandum vero, ut vesperae & completorium nonnisi pomeridianis horis dicantur, excepta quadragesima, in qua vesperae fictione canonica meridie celebrantur. Sed & matutinum sequentis diei ex caussa post solis occasum recitare licet: quae anticipatio culpa non vacat, si nulla ex caussa fiat. V. S. Thom. *quodl. V. q.* 14.*art.*1.

§. IX. Statis autem precum horis varia tribuerunt mysteria, quae cardinalis Bona *de divina psalmodia cap. II.* §. 2 *& seqq.* multis enarrat. Verum illud in primis omnium ore celebratur, quod statae horae divinis laudibus addictae redemtionis nostrae mysteriis respondent. Hac ratione noctu oramus, quod Christus a militibus comprehensus & ligatus est: prima, quod in-

---

cuique officio celebrando addictas, reductis horis inaequalibus ad aequinoctiales, sive communes.

injuriis & sputis adfectus: tertia, quod morte damnatus: sexta, quod cruci adfixus: nona, quod omnia cruci adfixo Domino commota sunt, & illius latus lancea persoravit: vespere, quod de cruce depositus: completorio demum, quod tumulo repositus est. Quae mysticae rationes Christum patientem repraesentantes ex parte in sic dictis *apostolicis constitutionibus lib. VIII. cap.* 34. referuntur. Haec & reliqua mysteria in horis canonicis expressa hominibus piis & devotis magna ex parte debentur: nam in prima earum institutione de mysteriis fortasse nihil cogitatum.

§. X. Veteri stante disciplina non modo clerici, sed etiam fideles laici ad horas canonicas celebrandas conveniebant. Basil. *ep. LXIII. ad Neocaesar.*, *constit. apost. lib. VIII. cap.* 34. Convenientes autem ad statas horas laici cum clericis eas concelebrabant, atque ideo cum eis psallebant & canebant. Haec autem christianorum in horis canonicis celebrandis frequentia nulla necessitate, sed sola christianae vitae perfectione nitebatur; nec enim laicus homo laboribus adsiduis ad sustinendam vitam occupatus, videtur necessario obstictus fuisse, ut interruptis opificiis ad ecclesiam curreret. Chrysost. *hom. VI. de Anna*. Sed diebus dominicis & praecipuis festis laici praecepti necessitate ad horas canonicas celebrandas debebant convenire, ut ita dies festos ex Ecclesiae mente sanctificarent. V. Espen. *diss. de horis canon. par. I. cap.* 3. §. 2. Nec hodie alia est Ecclesiae sententia, quae dies festos integros pie & devote jubet transigendos. Quamvis desueta jam usu populi lingua Latina sacrifi-

ficium laudis, quod publice in ecclesiis offertur, exemplo potius, quam precum intelligentia ad dierum festorum sanctificationem prodesse possit.

§. XI. Quod vero spectat ad clericos & monachos, exploratum est, eos ad statas horas quotidie celebrandas ex regulis veteris disciplinae obstrictos fuisse. Clericorum enim est incessanter orare: hinc canones clericos a clero abiiciunt, qui ad quotidianum sacrificium celebrandum ad ecclesiam non accesserint. Conc. Tolet. I. *can* 5., *L.* 42. §. 10. *C. de episcopis & clericis*. Et monachi, utpote perpetuae orationi & contemplationi addicti, ad horas canonicas in choro recitandas vi propriae professionis tenentur. V. Nat. Alexand. *theol. dogm. & moral. lib. II. in tract. de ordine cap.* 8. *ar.* 1. *reg.* 5. Haec autem clericorum obligatio sanctior evasit, ubi in vitam communem sub episcopo vel praeposito coaluerunt: nam ab eo tempore sollemnior inter clericos facta est horarum canonicarum celebratio utpote qui ex regulis monasticis vitam magna ex parte instituere coeperunt.

§. XII. Cursus autem ecclesiasticus, quem clerici quotidie persolvere debebant, publicus erat, sive in publico ecclesiae conventu statis horis celebrabatur, & in persona totius christiani populi per Ecclesiae ministros Deo offerebatur. Eo certe spectant sollemnes formulae in ipsis horis adhuc reliquae: *venite exultemus Domino; oremus, Dominus vobiscum, jube domne benedicere*, quae plures simul orantes supponunt. Scilicet etsi ad officium cujusque christiani pertineat privatim preces Deo offerre: tamen vel ab initio Ecclesia publicas preces induxit: quippe quae

non

non tantum aliorum exemplo valebant ad intendendam religionem: verum etiam Deo erant acceptiores, eumque veluti cogebant ad preces suorum fidelium exaudiendas. *Coimus in coetum & congregationem*, inquit Tertullianus *de anima cap. IX.*, *ut ad Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes. Haec vis Deo grata est.*

§. XIII. Hac ratione horae canonicae apud veteres celebratae sunt, a quibus non uno nomine distamus. Et quidem hodie canonici & clerici choro addicti & monachi clerici ad horas in choro quotidie recitandas, si nulla justa caussa impediantur, tenentur, non reliqui clerici, quam disciplinam videtur confirmasse synodus Viennensis, dum statuit, ut in cathedralibus, regularibus, & collegiatis ecclesiis sacra officia statis horis devote celebrentur, *Clement.* 1. *de celebrat. missarum* (*m*). Tanta mutatio duplici ferme ex caussa videtur invaluisse. Una, quod in paroeciis horae canonicae publice celebrari desierunt, praesertim postquam patrimonii titulo recepto & institutis ecclesiasticis beneficiis, plerique clerici ex reditibus ecclesiae nihil perceperunt. Altera, quod canonici in suis ecclesiis post desertam vitam communem unum corpus componentes, in quod reliqui clerici etiam be-

(m) *Ex Ecclesiae sententia recte faciunt clerici non canonici, si in paroeciis, quibus adscripti sunt, dominicis & festis ad minus diebus divina officia cum suis parochis in choro persolvant: quod Espenius* diss. de horis canonicis par. I. cap. 2. §. 1. observat.

beneficiarii partem non haberent, haud passi sunt, ut alii clerici in choro secum adsiderent. Tenentur vero canonici & clerici choro addicti ad horas in choro sollemniter recitandas vel omnes singulis diebus, vel in classes tributi alternatim singulis hebdomadis, vel mensibus, prout instituta moresve ecclesiarum habent. At qui in chorum non conveniunt, quolibet die privatim horas debent recitare.

§. XIV. Porro in praesenti disciplina ex reliquis clericis soli sacris ordinibus initiati & beneficiarii tenentur ad horas canonicas privatim recitandas, non item reliqui clerici minores (n). Quae disciplinae relaxatio post seculum decimum sensim invaluit, postquam beneficiis ecclesiasticis institutis, multi patrimonii titulo ordinati sunt, & nexus ecclesiam inter & clericos, saltem eos, qui nullis beneficiis aucti erant, tantum non solutus est, & perpetua ad clericatum obligatio ad solos majores clericos restricta est. Hac recepta disciplina vix erat, ut minores clerici, qui reditibus ecclesiasticis non vivebant, & cleri-

(n) *Non desunt ex clericis majoribus & beneficiariis, qui eo nomine se non teneri ad officium divinum privatim recitandum dictitant, quod officium illud plures recitantes supponat. Sed si excipias formulas ad plures spectantes, psalmi & orationes tales sunt, quae dum ex corde puro recitantur, non minus uni, quam pluribus simul orantibus conveniunt. Clericorum quoque est incessanter orare, & dum Ecclesia non alium singulis ordinem praescribit, receptas horas debent celebrare.*

ricatum impune relinquebant, sacras horas quotidie persolverent: & obligatio ad horas quotidie persolvendas ad eos praesertim clericos spectare visa est, qui sacris ordinibus initiati ad perpetuum clericatum adstricti erant, vel beneficia possidentes reditibus ecclesiasticis vivebant. Primum in concilio Coloniensi an. CIↃCCLXXX. habito aliqua clericis minoribus non beneficiariis videtur facta indulgentia, ut ab horis recitandis vacarent (o). V. Espen. *diss. de horis canonicis par. I. cap.* 1. Inde magis magisque lapsa disciplina, synodus Basileensis *ses. XXII can.* 5. aperte supponit, solos clericos majores & beneficiarios ad horas canonicas recitandas teneri.

§. XV. Quiqumque ad divinum officium persolvendum obligantur, sive in choro, sive privatim, id *reverenter*, *distincte*, & *devote* facere debent: quod ex recepta in Ecclesia sententia Tridentini patres *ses. XXIV. de ref. cap.* 12. inculcarunt. Nimirum qui divina officia persolvunt, cum Deo tractant, qui rex & dominus omnium est, quique corda scrutatur; & hinc qui horas canonicas recitat, etiam externo corporis habitu se componere debet, & jocis & colloquiis ha-

---

(o) *Sane haec synodus* can. I. *statuit, ut nullus clericus horas canonicas & de domina nostra ulla umquam die dicere praetermittat, maxime* qui est in sacris ordinibus & beneficiis constitutus. *Ita conclusum, non adeo stricto jure ad horas canonicas teneri minores clericos ac majores & beneficiarios.*

abstinere. Ipsa quoque vocalis orationis ratio postulat, ut divinae laudes non cursim & festinanter, sed distincte singula verba pronuntientur. Maxime vero necessarius est devotus animus, quo divina officia recitantes se interius cum Deo conjungant, & debitam religionem Deo exhibeant. *Deo*, inquit Hieronymus in *can.* 1. *D.* 92., *non voce sed corde canendum*.

§. XVI. Iam quo Ecclesia magis magisque in ecclesiis cathedralibus & collegiatis publicam & sollemnem psalmodiam sustineret, *distributiones quotidianas* instituit, idest certas specierum & pecuniae praebitiones, quas statis horis addictas tantum canonici in choro praesentes & divina officia celebrantes lucrarentur. Ivo Carnotens. *ep. CCXIX. ad Paschal. II.*, Trident. *ses. XXI. de ref. cap.* 3. Hinc distributionum manualium hoc est ingenium, ut tantum praesentibus in choro & divina officia celebrantibus debeantur, & quidem pro illis horis, quibus praesentes sunt, non vero pro illis, quibus non interfuerunt. Trident. *ses. XXIV. de ref. cap.* 12. Cui juri adversae consuetudines & statuta ecclesiarum, quibus uni aut duabus horis praesentes integras lucrantur distributiones, non secus ac ceteri, qui horas celebrarunt, merae corruptelae reputantur. Verum pro praesentibus illi censentur, & in absentia distributiones lucrantur, *quos infirmitas, seu justa & corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret, cap. un. de clericis non residentib. in* 6., Trident. *loc. cit.* Evidens vero ecclesiae utilitas, quae etiam absentibus canonicis distributiones tribuit, non est in ge-

genere quaelibet Ecclesiae utilitas, sed tantum utilitas particularis ecclesiae, de cujus distributionibus agitur. Qua ratione qui studiorum caussa absunt, distributiones non lucrantur: contra canonicus poenitentiarius, dum confessiones in ecclesia excipit, lucratur. Trident. *ses. XXIV. de ref. cap.* 8. & *ses. XXII. de ref. cap.* 3. Distributiones autem, quae absentibus a choro denegantur, jure praesentibus non accrescunt, sed ecclesiae fabricae, aut alteri pio loco ordinarii arbitrio cedunt, Trident. *ses. XXII. de ref. cap.* 3., licet regula ista in plerisque ecclesiiis non vigeat, sed deficientes portiones accrescant praesentibus, si distributiones ex communi massa in eam rem tribuenda desumuntur. V. Espen. *part. I. tit.* 7. *cap.* 11.

§. XVII. Qui vero ad cursum ecclesiasticum quotidie persolvendum tenentur, ex legitima caussa tanto onere liberantur, veluti caecitate, aut gravi infirmitate, quae officii recitatione gravior, aut longior evaderet: qua in re medici, aut superioris arbitrio, aut viri prudentis judicio standum est. Excusatur quoque si quis sine sua culpa breviario careat (*p*), & in loco versetur

---

(p) *Nomine* breviarii *in re ecclesiastica venit liber, quo divinum officium singulis per annum diebus recitandu.. continetur, in gratiam clericorum & monachorum compositus. Sed de illius nominis ratione non idem omnibus. Alardus Gazaeus & Leonardus Lessius putant, breviarium inde dictum, quod continet omnes psalmos, qui totius scripturae com-*

tur, ubi invenire non poſſit, aut commodato accipere: item legitima excuſationis cauſſa cenſetur adminiſtratio ſacramentorum, quae moram pati non poteſt, morientium, & infirmorum procuratio, aliaeque ſacrae functiones, ſi forte tempus officio recitando neceſſarium non relinquant, praeſertim ſi beneficii ratione, aut epiſcopo mandante functiones iſtae ſint obeundae. Ubi duo officia ſimul colliduntur, id obligat, quod majori obligatione nititur. Quod ſi concionandi munus ex officio incumbat, meminerint eccleſiaſtici, quod oportet iſtud facere, & horarum recitationem non omittere. Et qui totum officium ex cauſſa impeditur recitare, quas poteſt horas recitare tenetur. V. Nat. Alexand. *theol. dogm. & mor. lib. II. de ordine cap.* 8. *art.* 1. *prop.* 3.

pendium ſunt: tum ſelecta quaeque complectitur ex utroque teſtamento, inſigniorem ſanctorum patrum doctrinam, praecipua ſanctorum geſta, hymnos, & orationes. Contra Cardinalis Bona de divina pſalmodia cap. XVIII. §. 20. *docet, breviarium dici, quod in eo conciſe & ſine muſicis notis ea omnia conſcripta ſint, quae in antiphonariis aliiſque chori libris magno charactere ad cantantium uſum comprehenduntur. Addit, breviarii nomen ad officii divini brevitatem referri poſſe: nam hodiernum breviarium poſt Pium V. antiquioribus brevius eſt. Quidquid vero ſit de nominis ratione, ſemel compoſitum breviarium multas habuit vices, quas enarrare hujus loci non eſt.*

CAPUT XXXVIII.

De dierum festorum celebratione.

§. I. FEsti dies in honorem deorum apud omnes ferme gentes celebrati sunt, utpote qui cultus religiosi, ubique ferme recepti, potiorem partem constituebant. Apud christianos inde usque ab apostolis festi dies instituti & celebrati sunt, quales Pasqua, Pentecoste, & quaevis dies dominica: successu vero temporis plures alii accesserunt, veluti dies natalis Christi, natales martyrum, sive dies, quibus martyrium passi sunt, festi apostolorum, B. Mariae virginis, aliique complures, quorum omnium historiam Hospinianus *de festis*, & Thomassinus *de celebratione festorum* enarrant.

§. II. Sunt festi dies alii immobiles, hoc est certis anni diebus adfixi, quales natalis Domini, Epiphania, dies festi apostolorum, & B. Mariae virginis; alii vero mobiles, qui non iisdem anniversariis diebus celebrantur, quales Pascha, Adscensio Domini, Pentecoste. Festa mobilia a die celebrationis Paschae pendent omnia; & hinc quolibet anno citius aut serius ordine suo recurrunt & celebrantur. Festum Paschae de veteri ecclesiae Romanae regula contra Asianas ecclesias probata in synodo Nicaena celebratur die dominica, quae post aequinoctium vernum decimam quartam lunam primi mensis proxime sequitur (*a*). §. III.

(a) *In veteri disciplina non adeo facile erat diem ce-*

§. III. Praeterea ratione majoris minorisve observationis festi dies triplicis generis sunt. Alii summa religione & observantia transiguntur, quasi Deo omnino sacri, quales dominicae omnes & majores festi, in quibus fori caussae, negotia forensia, & manuales labores cessant, tantumque Deo & religioni christiani vacare debent. Alii minori observantia celebrantur; fiunt enim sacri conventus, cessant negotia forensia, non vero secularia negotia, & corporis labores. Et demum sunt festi dies, in quibus celebrantur divina officia, non tamen strepitus fori, & manualia opera intermittuntur: qua ratione ecclesia Orientalis sabbatum inter festos dies recensebat, conc. Lao. dic. *can. XIX.*, & Ecclesia universa celebrabat dies omnes inter Pascha & Pentecosten.

§. IV. Iam pro potestate sua licet episcopis peculiares dies festos in suis ecclesiis instituere, sed ex cleri & populi consensu. *can.* 1. *D.* 3. *de con-*

---

celebrationis Paschae definire, idque propter varias & imperfectas computandi paschae rationes: quo factum, ut ecclesiae non eadem dominica saepe pascha celebrarint. V. Bingham. orig. eccles. lib. XX. cap. 5. §. 4. *Hinc. synodus Nicaena episcopo Alexandriae, ubi astronomi egregii florebant, dedit in mandatis, ut quotannis verum Paschae diem indagaret, eaque de re ecclesias certiores faceret. Sucessu temporis crevit confusio, eaque demum per Gregorium* XIII. *pontificem, emendato, qui hactenus obtinuerat, Kalendario, sublata est: iamque facile omnibus est de die Paschae decernere.*

consecratione cap. 1. *ex de feriis*. Et reapse martyrum festi dies episcopi & fidelis populi consensu in peculiaribus ecclesiis initio instituti sunt, licet postea ab aliis ecclesiis recepti & celebrati sint. Nempe dies festi etiam feriati sunt, hoc est a manualibus laboribus & strepitu fori vacui: & hinc si de novo instituantur, etiam populus, aut civilis potestas, quae populum repraesentat, debet consentire, quod Espenius *par. II. sect.* 2. *tit.* 2. *cap.* 1. observat.

§. V. Festi dies Deo omnino sacri, Deo & religioni integri sunt impendendi: quae est festorum sanctificatio. Quamvis enim christiani vita numquam a Deo sejungi debeat: tamen propter plurimorum infirmitatem certos dies indicere placuit, quos christiani integros in sanctitate, tanquam Deo sacros, transigerent. Hinc in veteri disciplina fidelis populus saltem diebus dominicis & praecipuis festis divino officio intererat, & simul concelebrabat (*b*), ut ita di-

(b) *Certe in ecclesia Orientali christiani omnes alternatim, & veluti in duos choros distributi psalmos canebat. Quo exemplo in Ecclesia Mediolanensi Ambrosius eamdem canendi rationem instituit*, ne populus meororis taedio contabesceret, *quod Augustinus* lib. IX. confes. cap. 7. *testatur. Ubi Latinae linguae usus desuevit, populus in ecclesiis Occidentis non amplius in celebratione partem habere potuit, & obligatio ad horas canonicas sollemniter recitandas sensim ad canonicos restricta est: & ex ceteris Clericis beneficiarii*, & *qui majoribus ordini-*

diem integrum sanctificaret. Deinceps ubi in Occidente Latina lingua populiaris esse desiit, non amplius christiani concelebrarunt; at Ecclesia etiam hodie exoptat, ut fideles ad horas canonicas conveniant, & divinum officium ita celebretur, ut populi religio possit intendi. Et longe profecto absunt a mente Ecclesiae, qui sola privatae missae auditione praeceptum de sanctificandis festis se implere putant, quasi sit omnino idem missam audire & diem festum sanctificare. V. Espen. *loc. cit. cap.* 2.

§. VI. Ut vero christiani soluti omnibus curis melius sanctificandis diebus dominicis & festis vacent, ab operibus servilibus cessare debent: quod jure civili & sacris canonibus cavetur, *L.* 3. *C. de feriis* (c), *capit. reg. Franc. lib. I. cap.* 57. Nomine operum servilium veniunt labores corporis & manualia opera omnia, quibus a sanctificandis festis & sacrorum conventuum frequentatione christiani impediuntur. Qualia opera rustica, fabrilia, sellularia, quae inde servilia dicta, quod olim apud Romanos praecipue per servos

---

nibus initiati sunt, privatim integrum officium quotidie debent celebrare. Espen. diss. de horis canonic. par. I. cap. 2. §. 1.

(c) *Constantinus M. in* cit. L. 3. *tantum jubet*, urbanas plebes & cunctarum artium opificia die solis, *seu dominica conquiescere, non item rusticos, quibus labores permittit, quod frequenter eveniat, ut non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineae scrobibus mandentur. Sed deinceps Leo Sapiens etiam rusticos die dominico cessare praecepit.* Const. LIV.

vos solebant expediri. Verum necessitate aut caritate cogente christiani diebus dominicis & festis cum Dei timore possunt manibus suis operari, conc. Laodic. *can.* XXIX., *cap.* 3. *ex. de feriis*, modo praecedente superioris venia labores suscipiantur.

§. VII. Eadem quoque ratione in diebus dominicis & festis strepitus fori & caussae judiciales conquiescere debent, quod legibus principum & sacris canonibus comprehensum est, *L.* 2. *&* *L.* 3. *C. de feriis*, *cap.* 1. *ex. de feriis*. Una cum fori exercitiis nundinae, sive mercatus, sive mercatura diebus festis haberi prohibentur, *cit. cap.* 1., utpote quae rebus terrenis implicant, & a divino cultu distrahunt. Acta judicialia etiam ex partium consensu diebus festis explicata nulla sunt, *cap. ult. ex. eod.*, nisi necessitas urgeat, & pietas suadeat: qua ratione jure civili diebus festis emancipare, aut manumittere licet *cit. L.* 2. Sed contractus, qui diebus dominicis & festis in nundinis ineuntur, viribus constant.

§. VIII. Item diebus dominicis & festis jure civili spectacula, sive scenica, sive Circensia interdicta sunt, *L.* 2. *&* *L. nit. C. Th. de spectaculis*, quae deliciis animum adlicentia distrahunt a festis sanctificandis, & peccatis saepe sunt occasioni. Parum distarent christiani a moribus Judaicis, si dies festos in otio transfigerent, operibus carnis & deliciis unice intenti. *Observa*, inquit Augustinus *enarrat in psalm.* XXXII. *n.* 6., *diem sabbati non carnaliter, non Judaicis deliciis, qui otio abutuntur ad nequitiam: melius enim tota die foderent, quam tota die saltarent*. Quae quum ita sint, parum congruit sanctitati

re-

religionis, quod presentibus moribus spectacula diebus dominicis & festis edi soleant: & res profecto est digna christianorum principum legibus, quibus saltem in alios dies spectacula differantur.

§. IX. Festi dies sensim numero creverunt: & hinc propter cessationem a laboribus erepta est pauperibus victum sibi parandi occasio, & & universa pene festa minus religiose observata sunt: quod synodi & pontifices aeque deplorant. V. Espen. *par. II. sect.* 2. *tit.* 2. *cap.* 1. Hinc synodorum auctoritate plura ex minoribus festis in dies intercisos, mane scilicet festos, non item reliqua diei parte, aut in festa solius devotionis abierunt. Et Benedictus XIV. instantibus episcopis in multis ecclesiis minorum festorum numerum deminuit, vel potius laborandi facultatem concessit, integro tamen relicto praecepto missam audiendi: quod ipse narrat *de synodo dioecees. lib. XIII. cap.* 18. *n.* 11. *seq.* Quam deminutionem, petente Carolo olim Rege nostro, etiam in regno Apuliae fecit.

CAPUT XXXIX.

De jejuniis.

§. I. OBservatio jejuniorum, non secus ac dierum festorum sanctificatio, inter religiosa christianorum officia censetur: jejunantes enim christiani corpus suum castigant, *&* in servitutem redigunt, & seipsos hostiam Deo offerunt. Jejunium proprie sic dictum differt ab abstinentia: qui jejunant, a carnibus & delica-

tioribus cibis abſtinent, ſimul vero cibum uſque ad certam ſtatamque horam differunt: qui abſtinent, carnes non comedunt, & parſimoniam in cibis quaerunt, at cibum uſque ad certam horam non differunt: & ita abſtinentia jejunii pars eſt. Sed non confundendi jejuni cum jejunantibus, illi enim dicuntur, qui nihil cibi aut potus ſumſerunt, utut jejunare, aut a prandio abſtinere haud conſtituerint: contra jejunantes nec cibum ſumſerunt, & illum differre ſtatuunt.

§. II. Jejunia religioſa apud chriſtianos diverſi generis ſunt, alia enim generali canone impoſita chriſtianos obligant, alia poenitentibus in ſatisfactionem imponi ſolent, alia ex voto, aut aſceſi ſuſcipiuntur. Quae omnes obligant, ſtatis temporibus recurrunt, qualia jejunium quadrageſimae, quartae & ſextae feriae, quatuor temporum, & vigiliarum (*a*). Nec omittenda jejunia

---

(a) *Calviniani, in primis Jo. Dallaeus, docent, veteris eccleſiae jejunia non neceſſitate, ſed potius pro arbitrio a chriſtianis fuiſſe obſervata. Hinc tenent, eccleſiam Romanam cum Montaniſtis in jejuniorum diſciplina convenire, idque propter ſtata jejunia, quae ex neceſſitate in Romana eccleſia chriſtianos obligant, qualia erant Montaniſtarum jejunia. Sed apage apertas calumnias. Sane veteris Eccleſiae jejunia, praeſertim quadrageſimae, ex neceſſitate obſervanda erant: & ſi Eccleſia jejunia Montaniſtarum reprobarit, id ea ratione factum eſt, quod illi jejunia ſua ex novis revelationi-*

nia, quae ex aliqua sollicitudinis ecclesiasticae caussa episcopi indicunt, quod seculo secundo episcopos facere consuevisse Tertullianus *de jejun. cap. XIII.* testatur.

§. III. Inter stata & sollemnia christianae religionis jejunia maxime sacrum est jejunium ante Pascha (*b*), quod vel a primis saeculis *Quadragesima* appellatur, quamvis longo tempore tantum triginta sex dies esuriales fuerunt (*c*).

---

nibus per paracletum Montano factis obligare dictitarent, quod tamquam merum figmentum Ecclesia explosit. V. Nat. Alexand. sec. II. hist. eccles. diss. 4.

(b) *Ex veteribus patribus jejunium ante pascha Hieronymus in* Isaiam cap. LVII. *divinae institutioni tribuit, sed quatenus Jesus Christus quadraginta diebus in solitudine jejunavit*, ut nobis sollemnes jejuniorum dies relinqueret. *Contra idem Hieronimus* epist. LIV. ad Marcellam., *Leo M.* serm. V. de quadragesima *aliique apostolicae traditioni referunt acceptum. Utrisque vero adversari videtur Augustinus, qui* ep. LXXXVI. ad Casulanum *habet, jejunium quidem in evangelicis & apostolicis litteris praeceptum esse, sed quibus diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, praecepto Domini vel apostolorum definitum non inveniri. Sed facile respondetur, non inveniri quidem in novo testamento dies jejunio addictos; at eosdem praecepto verbis ore prolatis tradito ecclesiam accepisse.*

(c) *Quarto seculo quadragesima triginta sex diebus*

Certe quadragesima in ecclesia Romana quinto & sexto seculo sex hebdomadis constabat, & ita dies jejunio consecrati erant triginta sex; nam ex singulis hebdomadis semper dies dominicus eximebatur, in quo de veteri more in memoriam dominicae resurrectionis christiani non jejunabant. Gregor. M. *hom. XVI. in evangelia*. Successu temporis in ecclesia Romana quatuor dies esuriales quadragesimae additi sunt, nimirum dies cinerum & tres sequentes: quod vel a Gregorio M. vel a Gregorio II. factum esse creditur: & ita quadragesima quadraginta dies esuriales coepit continere.

§. IV. Stati quoque jejuniorum dies in qualibet hebdomada erant quarta & sexta feria, id-

---

bus jejunio addictis constabat: nec alia videtur trium priorum seculorum in plerisque ecclesiis fuisse disciplina: qua de re Nat. Alexander hist. eccles. sec. II. diss. 4. art. 3. *Interim illa ipsa quadragesima in aliis ecclesiis sex hebdomadibus, in aliis septem celebrabatur: quod ex Cassiano* collat. XXI. cap. 24. *constat. Haec varietas pendebat a diversitate disciplinae, quae sabbatum solebat celebrari. Nimirum in multis ecclesiis praesertim Orientalibus sabbatum festum erat, atque ideo in eo non jejunabatur; in aliis vero & praesertim in Romana jejunio erat addictum. V. Bingham.* orig. eccles. lib. XX. cap. 3. *Hinc qui sabbatum inter dies festos censebant, unam hebdomadam quadragesimae adjunxerunt, quo sabbata jejunio exemta supplerent. Dicta vero est quadragesima, quod dies jejunii ad quadraginta proxime accederent.*

idque vel a primis feculis obfervatum eft. Tertull. *de jejuniis cap. XIV.* Orig. *hom. X. in Levitic.* Ea vero ratione his duobus per hebdomadam diebus jejunium ab Ecclefia indictum eft, quod Judaei quarta feria confilium ad Chriftum occidendum inierint, fexta vero morti dederint. Auguft. *epift. LXXXVI. ad Cafulan.* Acceffit in ecclefia Romana & quibufdam aliis Occidentalibus fabbati jejunium, quod quarto feculo ob Chrifti fepulturam jam celebrari confueverat. Auguft. *cit. epift.*, Innoc. I. *epift. ad Decentium cap.* 4. Verum jejunia ifta omnia a die Pafchae ufque ad Pentecoftem remittebantur: quod quinquaginta illos dies in laetitia ob memoriam refurrectionis Chrifti Ecclefia tranfigebat: quemadmodum etiam remittebatur jejunium, fi in ferias quartam, fextam, aut fabbatum nativitas Chrifti incideret. V. Albafp. *obfervat.lib.I.*17.

§. V. Quatuor temporum jejunia fingulis annis initio quatuor diverfarum anni tempeftatum recurrunt, & idcirco menfibus Martio, Junio, Septembri, & Decembri celebrantur, habentque fingula tres dies jejunio confecratos, nempe feriam quartam, fextam, & fabbatum. Exemplo Judaeorum jejunia quatuor temporum feculo quinto in ecclefia Romana jam recepta erant, quamvis potius animo chriftiano, quam ritibus Judaicis fervarentur: quod ex Leone M. *ferm. IV. & V. de jejunio feptimi menfis* conftat. Jejunia ifta inftituta funt, quod chriftiani quovis tempore ope divina & purificationibus indigerent, Leo M. *ferm. IX. de jejunio fept. menfis*; vel quod gratias Deo agere pro beneficiis, quae in fingulis anni tempeftatibus accepta erant, o-

portebat. Leo M. *ferm. VI. de jejunio decimi mensis*. Verum labentibus annis ordinationes facrorum miniftrorum his ftatis quatuor temporum jejuniis addictae funt, ut ita orationibus & jejuniis bonos altaris miniftros Ecclefia divinitus impetraret; qua de re *par. I. cap.* 3. dictum eft.

§. VI. Praeterea in vigiliis feftorum Chrifti, & multorum fanctorum per annum jejunia obfervantur. Vigiliae, quae etiam *pernoctationes* a Latinis dicuntur, in veteri difciplina erant nocturna officia, quibus chriftiani in ecclefiam convenientes, maximam noctis partem precibus & pfalmis tranfigebant, iifque feftorum Chrifti, Pentecoftes, & facrorum martyrum celebrationem introducebant. Jejunium diei antecedentis ipfas vigilias praecedebat, fi antecedens dies alias effet efurialis, ut videre eft in vigiliis Pafchae, quas fabbati magni jejunium praecedebat. Nam fi antecedens dies alias jejunio non erat confecratus, vigiliae nullo praecedente jejunio videntur celebratae, excepta tamen natalis Chrifti vigilia, quam cum jejunio obfervatam fuiffe ex Auguftino *epift. LXV. ad Xantip. novae editionis* conftat. Labentibus annis vigiliae propter abufiones fere interdictae funt, & antecedentes dies *vigiliae* nomen retinuerunt, & efuriales facti funt: quod Honorius Auguftodunenfis *lib. III. cap.* 6. obfervat.

§. VII. Jam ecclefiafticum jejunium, utpote quod in poenitentiam & corporis macerationem inftitutum eft, duo tamquam praecipua & intrinfeca complectitur, abftinentiam nempe a carnibus & aliis cibis delicatioribus, & unicam in die comeftionem. Et abftinentia quidem a

car-

carnibus in diebus esurialibus semper ecclesiastici jejunii pars fuit, & apud veteres christianos per canones indicta: quod multis productis veterum patrum locis probat Nat. Alexander *sec. II. hist. eccl. diss.* 4. *art.* 2. adversus hereticos, in primis Dallaeum, qui magno conatu persuadere satagit, apud veteres christianos nullum fuisse canonem, quo abstinentia a carnibus in diebus esurialibus praeciperetur. Cibi quoque delicatiores & potus vini in diebus jejunii erant interdicti. Basil. *hom. I. de jejunio*, Cyrill. Hierosolym. *catech. IV. ad illuminat.*, Hieronym. *in cap. X. Daniel.* Quin multae ecclesiae, praesertim Orientales, etiam abstinebant ovis, caseo, & piscibus, diesque esuriales herbis, leguminibus, & fructibus transigebant. Severitas vero in majori hebdomada intendebatur, relictis enim reliquis cibis, fideles tantum panem cum sale & aquam solebant adhibere (*d*): & nonnulli ad biduum, vel triduum, vel quatriduum jejunia prorogabant, nec defuerunt, qui integra hebdomada cibis abstinerent. Epiphan. *exposit. fid. n. XXII.* (*e*).

§. VIII.

(d) *Ejusmodi vivendi ratio, qua in hebdomada magna panem dumtaxat cum sale & aquam sub vesperam christiani solebant adhibere*, ξηροφαγία *dicebatur*, aridus *nempe* victus. *Epiphan.* exposit. fidei n. XXII. *sed constitutiones sic dictae apostolicae* lib. V. cap. 27. *xerophagiam sic describunt, quasi pane, sale, aqua, & oleribus constaret. Quidquid vero hujus rei sit, synodus Laodicena* can. L. *edicit* ξηροφαγεῖν *etiam per integram quadragesimam.*

(e) *Praeter Epiphanium etiam Dionysius Alexan-*

§. VIII. Pertinet quoque ad ecclesiastici jejunii constitutionem unica per diem comestio, quae ex cibis esurialibus hora legitima frugaliter sumatur: finis enim & institutio jejunii est poenitentia & corporis maceratio, quae certe non obtinetur, si pluries in die cibum sumere liceret, aut si semel in die corpus nimia cibi copia roboretur. *Nihil prodest*, inquit Augustinus *serm. LVI. de tempore, tota die longum traxisse jejunium, si postea ciborum suavitate vel nimietate anima obruatur*. Usque ad horam refectionis jejunium ducebatur, nec interim licebat vel aquam bibe-

---

xandrinus ep. canon. can. I. *testatur, fuisse christianos, qui in hebdomada magna jejunia intendebant, hactenus ut alii duobus, alii tribus, alii quatuor, alii omnibus sex diebus jejuni persisterent. Augustinus quoque* de moribus ecclesiae catholicae cap. XXXIII. *de jejuniis monachorum per annum habet, eos* continuum triduum, vel amplius saepissime sine cibo & potu ducere. *Praesertim vero sacrum erat jejunium illis diebus, quibus sponsus oblatus erat, sive sextae feriae & sabbati majoris hebdomadis. Hoc genus jejuniorum Graeci scriptores* υπερθεσεις jejunii superpositiones, *vel* επισυναπτειν την νηστειαν continuare jejunium *dicebant: Latini vero* jejunia conjungere & superpositiones. *Mira profecto est superpositio per integros sex dies usque ad sequentis dominicae gallicinium, sed tamen vera: videturque eo contulisse robustior corporis habitus. Certe Augustinus* loc.cit. *vera de monachorum jejuniis, sed incredibilia se narrare profitetur*.

bere. Prudent. *hymn. VI.* Et manifesta profecto est posterioris aetatis relaxatio, qua tempore jejunii potus aquae & ante & post refectionem licitus esse creditur: ut nihil dicam de illa doctrina, quae fert, factitias & nutriticias potiones non solvere jejunium.

§. IX. Hora legitima solvendi jejunii & refectionem sumendi non in omnibus jejuniis eadem fuit, sed varia pro jejuniorum qualitate. Et quidem in diebus quadragesimae solvebatur jejunium vespere post solis occasum. Basil. *hom. I. de jejunio*, Ambros. *serm. VIII. in psal.* 118. Contra jejunia feriae quartae & sextae solvebantur post horam nonam, hoc est tertiam pomeridianam, Epiph. *exposit. fid. n. XXII.* ubi finitis stationibus, quae erant sacra officia feria quarta & sexta in ecclesiis celebrari consueta, quisque ad capiendum cibum in domum abibat (*f*). Hinc je-

(f) *Stationes erant sacri conventus feria quarta & sexta celebrari soliti, in quibus fideles statim ab ortu solis jejuni orationibus, poenitentiae operibus, sacris lectionibus per multum diei vacabant; hora vero nona post eucharistiam & oscula conventum, & jejunia solvebant, ut Petavius* not. in Epiphan. exposit. fidei *eas describit. Nomen desumtum est a militaribus stationibus, quod Tertullianus* de orat. in fine *observat. In diebus stationum jejunium post conventum hora nona solvebatur; atque ideo statio & jejunium concurrebant, nisi diei ratio jejunium prorogari postularet, velut in quadragesima, quando jejunium usque ad vesperam pro-*

jejunium quadragesimae perfectum censebatur, jejunia vero quartae & sextae feriae dicebantur *semiiejunia*.

§. X. Disciplina sive perfecti, sive minus perfecti jejunii diu in ecclesia stetit invariata: tum ineunte seculo decimo tertio mutari coepta est. Etenim hac aetate solutio quadragesimalis jejunii, quae post vesperam fiebat, ad horam diei nonam transiit, de qua consuetudine veluti sua aetate vigente S. Thomas 2. 2. *q.* 147. *art.* 1. loquitur. Inde crevit relaxatio, & ad meridiem jejunia omnia soluta sunt, ac sufficere ad jejunium creditum est, si officio vespertino circa meridiem persoluto pranderetur. Quae relaxatio Ecclesiae indulgentia admissa est, sive potius tolerata, modo quae jejunii naturam constituit, refectionis unitas servaretur, & meridie pransi vespere non coenarent: qui enim bis in die reficiuntur, ex Eccleſsae sententia jejunare non censentur. V: Nat. Alexandr. *sec. II. histor. eccles. diss.* 4. *art.* 7. Item feriae quartae jejunium, immo & ipsa a carnibus abstinentia ubique per Occidentem sensim observari desierunt, & jejunium sextae feriae & sabbati in abstinentiam a carnibus ab-

---

prorogabatur; & tunc aliud erat jejunium, aliud statio, quia videlicet statio hora nona, jejunium ad vesperam solvebatur. Toto pentecosies tempore, quo jejunia erant interdicta, stationes nullae celebratae. Sed de stationibus plura habet Albaspinaeus lib. I. obser. 16., *qui forte in eo fallitur, quod adversus Pamelium ostendere satagit, stationes a jejuniis differre.*

abjerunt ; quin in ſabbato aliquorum locorum moribus carnes , aut animalium interiora , & extremas partes veſci licet . Quae vero major eſt relaxatio , in diebus jeſenii meridie pranſi veſpere coenulam ſumunt , quae *collatio* recepta voce audit (*g*) .

§. XI. Obſervatio jejunii, praeſertim quadrageſimae , omnibus ex mente Eccleſiae indicta eſt: nec aliquis in veteri diſciplina ſive aetate , ſive conditione , ſive vitae genere exemtus crede-ba-

---

(g) *Origo* collationis *ſive veſpertinae coenulae eſt a monachis repetenda , quibus ob manuum laborem ipſis jejunii diebus permittebatur , ut poſt ſumtum legitima hora cibum , antequam cubitum irent , aquam biberent : cui potioni poſtea fruſtulum panis additum eſt , ne ſimplex aqua noceret . Sumebant verò monachi hanc refectionem in cella ad prandium deſtinata ante* collationem : *quae erat lectio ſpiritualis ante completorium in clauſtro vel capitulo quotidie fieri conſueta . Hinc ne tempus vitae regularis officiis deſtinatum in ſumenda coenula tererent , diebus jejunii collationem in ipſa cella ad prandium addicta habere coeperunt , aditumque illum ad refectionem diebus eſurialibus ſumendam ea formula ſignificabant* , ire ad collationem . *Ita nomen collationis a ſpirituali lectione ad ſerotinam illam refectiunculam translatum eſt , & a ſecularibus eo ſenſu uſurpatum , quum eouſque progreſſa eſt jejunii relaxatio , ut jejunantes meridie pranderent , & veſpere nihilominus coenulam ſumerent . V. Nat. Alexandr* ſec. II. hiſt. eccleſ. diſſ. 4. art. 7. prop. 2.

batur. Certe Basilius *hom. II. de jejunio* docet, omnes in qnadragesima ad jejunandum obligari: *ne quis semet excludat a numero jejunantium, in quo omne genus hominum, omnis aetas, omnes dignitatum ordines recensentur*. Et Leo M. *serm. XI. de quadragesima, quadragesimae jejunium observantiam sui universis fidelibus sine exceptione denuntiat*. Jejuniorum observatio indicta erat propter poenitentiam, quae chistianis omnibus necessaria censebatur. Tantum ex veteris ecclesiae regulis abstinere a carnibus in quadragesima non tenebantur, qui *inevitabili necessitate, atque fragilitate, vel etiam impossibilitate aetatis* onus ferre non poterant, idque postquam veniam a sacerdote obtinuissent. Conc. Tolet. VIII. *can.* 9. Hinc novitatem sapit doctrina illa, qua multi, sive aetate, sive vitae genere jejunio eximuntur.

FINIS.

